

*Poštnina za kraljevino SHS  
v gotovini plačana.*

# **BOGOSLOVNI VESTNIK**

IZDAJA

**BOGOSLOVNA AKADEMIJA**

**LETO VI**

**ZVEZEK I/II**

**LJUBLJANA 1926**

**NATISNILA JUGOSLOVANSKA TISKARNA**

# INDEX

## I

- De praeparatione et celebratione Conventus pro studiis orientalibus . . . . . 1

## II

- Spáčil, De membris ecclesiae . . . . . 11  
d'Herbigny, De corpore Christi mystico . . . . . 19  
Grivec, De unitate ecclesiae . . . . . 29  
Janin, De hodierno statu ecclesiarum et rituum orientalium . . . . . 42  
Salaville, De cultu ss. Eucharistiae in Oriente . . . . . 54  
Bourgeois, De indole ritus orientalis slavici . . . . . 70  
Viller, Exemplar ideale monasticum et sacerdotale in Oriente Graeco usque ad saec. IX . . . . . 73  
de Meester, De monachismo apud Graecos et Slavos post saec. IX . . . . . 88  
Višošević, De disciplina monastica apud catholicos ritus graeco-slavici . . . . . 99  
Kalaj, De liturgia graeco-slavica (Summarium) . . . . . 114  
Margotti, Relationes inter Codicem iuris canonici et orientalis ecclesiae disciplinam (Summarium) . . . . . 116

## III

### A. Cerkveni govor

- Tomažić, Uvodni govor . . . . . 117  
Učak, Apostolstvo sv. Cirila in Metoda . . . . . 122  
† Anton Bonaventura, Zaključni govor . . . . . 125

### B. Govori pri slavnostni akademiji

- Grivec, Uvodni nagovor . . . . . 129  
Rant, Slóvanska blagovestnika . . . . . 130  
Grivec, Ob 25 letnici Vladimira Solovjeva . . . . . 133

### C. Predavanja

- Perić, Jedan Bog, jedna crkva . . . . . 134  
Sakač, Naučne osnove crkvenog jedinstva . . . . . 139  
Rogošić, Srpska crkva . . . . . 146  
Gjulov, Bolgarska cerkev . . . . . 159  
Snoj, Delovanje in organizacija Apostolstva sv. Cirila in Metoda . . . . . 160  
Oberški, Rad Apostolata sv. Cirila i Metoda u Hrvatskoj . . . . . 162

- Nomina eorum qui Conventui pro studiis orientalibus interfuerunt . . . . . 165



### *Episcopi*

- I. 1. Jeglič, 2. Bauer, 3. Prečan, 4. Rodić, 5. Karlin — II. 1. Can.  
Chodniewicz, 2. Marušić, 3. Przedzkiecki, 4. Njaradi, 5. Hlond,  
6. Prelatus Okolo-Kulak





### *Praesidium et präelectores*

- I. 1. Salaville, 2. De Meester, 3. D'Herbigny, 4. Njaradi, 6. Jeglič,  
6. Gjulov, 7. Janin — II. 1. Višošević, 2. Kalaj, 3. Sakač, 4. Margoffi,  
5. Spačil, 6. Grivec, 7. Lepka, 8. Lukman — III. 1. Viller, 2. Snoj,  
3. Rogošić, 4. Benigar, 5. Debevec


*Coetus internationalis*

1. I. Miković, 2. Saveri, 3. Dimitrijević, 4. Hlon I., 5. Njarodi, 6. Radić, 7. Jeglić, 8. Przedziecki, 9. Okolo-Kulak,  
10. Stefanović, 11. Balul, 12. Sluckij





*Coetus Croatorum*



*Coetus Slovenorum*

# I

## DE PRAEPARATIONE ET CELEBRATIONE CONVENTUS PRO STUDIIS ORIENTALIBUS.

### A. Conventus praeparatio.

Congressus Velehradensis IV. (a. 1924) statuerat singulis annis in variis regionibus celebrandos esse cursus didacticos de rebus orientalibus cum expositione didactica rerum, quae ad unitatem ecclesiasticam referuntur; primum huiusmodi cursum didacticum a. 1925 in Jugoslavia (Ljubljana vel Zagreb) celebrandum esse. Ad hoc votum exsequendum episcopus Labacensis (Ljubljana), Dr. Ant. Bonavent. Jeglič, die 5. novembris 1924 convocavit conferentiam, ad quam praeter episcopum Dr. Joan. Gnidovec (Skoplje) 35 sacerdotes tum saeculares tum regulares e Slovenia et Croatia convenerunt. Croati unanimiter consensum praebuerunt, ut cursus haberetur in urbe Ljubljana. In commissionem eorum, qui cursum praepararent, electi sunt: Episcopus Dr. Ant. Bon. Jeglič, protector; prof. Dr. Fr. Grivec, praeses; prof. Dr. A. Snoj, secretarius; prof. Dr. Joan. Fabijan, arcarius; decanus capituli cathedralis Dr. Joan. Tomazič pro dioecesi Lavantina (Maribor); prof. Dr. Fr. Barac pro archidioecesi Zagrebiensi.

Schema cursus Augustissimo Pontifici Pio XI. approbadum substratum est. Die 28. dec. 1924 per nuntium apost. Belgradensem responsum venit »Augustum Pontificem laetum esse, quod Conventus pro ecclesia orientali Labaci habeatur«. Augusto Pontifice Pio XI. annuente R. P. Mich. d'Herbigny, praeses Pont. inst. Orientalis de Urbe, commissionem praeparatoriam tum in cursu parando cum in programmate praefinendo quam efficacissime iuvabat. Eo suadente statutum est, ut non solum cursus didacticus de rebus orientalibus, sed etiam conventus eruditorum celebraretur (Conventus pro studiis orientalibus).

Collegium Conventum parantium alios quosdam cooptavit viros tum pro parandis habitaculis et pro alendis hospitibus, tum pro auxilio praestando in cancellaria Conventus ante Conventum et tempore ipsius Conventus (Dr. C. Potočnik; V. Zor; J. Vindišar et Fr. Koretič). Sessiones plures habitae sunt alternatim et Labaci et Zagrebiae.

Ineunte mense aprilii programma praefinitum simul cum invitatione ad Conventum in varias regiones missum est. Cum iam ab initio statutum esset, ut Conventus, ex parte tantum internationalis,

praeprimis notitiis de theologia orientali inter catholicos Jugoslavos vulgandis inserviret, ex extraneis pauci tantum invitati sunt, iisque soli catholici; qui ex orthodoxis paucissimi invitati sunt (inter alios ex. gr. facultas theologica universitatis Belgradensis), desiderabantur, non ut ecclesiam orientalem dissidentem, sed tantum ut scientiam theologicam Orientis separati reprezentarent.

Ex archiepiscopis et episcopis Jugoslavis excusaverunt se impeditos esse, quominus ad Conventum venirent: archiep. Dr. J. Šarić (Sarajevo); ep. Dr. J. Marčelić (Dubrovnik); ep. Fr. Uccellini (Kotor); ep. Lucas Pappafava (Hvar); ep. Dr. Quirinus Bonefačić (Split); ep. P. Jos. Garić (Banjaluka); ep. Ant. Akšamović (Djakovo); ep. Dr. Hier. Mileta (Šibenik); ep. Dr. Joan. Gnidovec (Skoplje); item excusaverunt se ep. Dr. Joseph Bocjan (Leopoli) et alii quidam viri illustres ex Oriente et Occidente.

### B. Conventus celebratio.

Sabbato 11. iulii frequentissimus erat hospitum concursus.

Sequente die Dominica, festo ss. Hermagorae et Fortunati, dioecesis Labacensis patronorum, sacrae functiones in ecclesia cathedrali s. Nicolai peractae sunt. Hora 8½ R. D. Dr. Joannes Tomazić, capituli cathedralis Lavantini decanus, sacrum sermonem de ecclesiastica unitate pronunciavit, quem, benevole lector, infra invenies. Dein hora 9. Rmus D. Dionysus Njardi, episcopus, sollemnem liturgiam Chrysostomianam peregit quatuor presbyteris concelebrantibus et choro associationis musices fovendae »Ljubljana« cantus sacros exsequente.

Finito sacro hora 11½ in aula maxima episcopii **Conventus inauguratio** sollemnitas facta est. Precibus dictis Rmus D. episcopus Labacensis Ant. Bonav. Jeglić, conventus protector, amplissimum coetum sic adlocutus est:

»Cohibere minime possum gaudium extraordinarium de adventu tot virorum illustrum e partibus ad septentrionem et illis ad meridiem sitis et quidem de adventu ad nostrum Congressum pro studiis orientalibus. — In mente quidem habuimus, professores Instituti pontificii orientalis ad excursionem invitare scientificum, ad quem selectis tantummodo viris accessus pateret. Ast opitulante divina providentia, quae nobis pignus est felicis successus, numerus participantium praeter nostram spem ita auctus est, ut verum congressum celebrare possimus.

Secundum mentem Summi Pontificis finis huius congressus est, ut nos catholici uberioris altiusque res moresque cognoscamus orientalium. Quem finem prae oculis habentes themata preelectionum selegimus, prout in programmate, quod prae manibus habetis, indicantur. Ut vero errores possibles evitentur puraque et fundata veritas nobis preebeat, viros in re peritos, utpote istis quaestionibus iam diu occupatos, rogavimus, ut pro amore Dei et ecclesiae onus instructionis in se susciperent. Quos viros doctos hic praesentes ex corde

saluto, persuasum habens, paelectiones eorum cognitioni rerum orientalium multum profuturas esse. — Ad congressum invitavimus etiam viros doctos ecclesiae orthodoxae cupientes, ut orthodoxi tum amicitiam nostram erga se cognoscant tum eodem spiritu ac nos imbuti ad seria studia nostrae romano-catholicae ecclesiae eiusque historiae efficaciter excitentur, illud persuasum habentes, ex recta rerum cognitione aequam hominum existimationem itemque sinceram benevolentiam efflorescere, quae Christi caritate coniuncta religiosae unitati quam maxime est, Dei numere, profutura'.

Rmus praesul dein salutem dixit: professoribus theologicae facultatis orthodoxae Belgradiensis; professoribus Pontificii Instituti Orientalis de Urbe; fratribus Slavis septentrionalibus e Polonia et Cechoslovachia, praesertim duobus episcopis Polonis (H. Przedzicki, A. Hlonik) et archipraesuli Olomucensi L. Prečan; fratribus Jugoslavis, nominatim archiepiscopo Zagrebiensi A. Bauer, archiepiscopo Belgradensi R. Rodić, episcopo Crisciensi D. Njariadi, episcopo Segnensi J. Marušić; sacerdotibus denique et laicis dioecesium Labacensis et Lavantine. Quibus amante animo salutatis Rmus Antistes haec subiunxit:

»Quoniam vero populorum omnium in oecumenica unitate consensio, utpote opus in primis Dei, divinis est auxiliis praesidiisque comparanda, piis sedulo insistamus precibus..., augustum maxime Eucharistiae sacramentum percolamus, pignus causamque praeципiam unitatis, mysterium illud fidei, cuius amorem studiosamque consuetudinem omnes Slavi utriusque ecclesiae conservavimus omnesque inter sacrificandum oramus, et quidem orientales Dominum invocant „pro unitate omnium”, nos vero Christo Domino supplicamus, ut „respiciens fidem ecclesiae suae eandem secundum voluntatem suam pacificare et coadunare dignetur”. — Recurramus etiam ad communem matrem nostram, Dei Genitricem Mariam, quae est mater pulchrae dilectionis, ut nos quoque illo inflammet amore erga Deum et erga veritatem, quo idonei evadamus veritatem sincero corde inquirere, cognoscere et cognitae toto corde assentire.

Ss. Cyrille et Methodi, orate pro nobis!«

Post sermonem istum inauguralem R. D. Jos. Dostal, cancellariae episcopalnis director, litteras apostolicas legit, quas Augustus Pontifex ad Conventum dirigere dignatus est.

Venerabili Fratri Antonio B. Episcopo Labacensi  
Labacum.

PIUS PP. XI.

Venerabilis Frater,  
salutem et apostolicam benedictionem.

Libenti sane animo a dilecto Filio Nostro Card. Joanne Tacci, qui quidem Sacro Consilio praeest Orientalis Ecclesiae rebus comprehendendis, certiores dudum facti sumus Conventum propediem in ista honoris tui Sede celebratum iri, quo homines coeant orientalium studiorum peritissimi, uti in Velehradiensi Congressu, superiore anno

habito a Nobisque dilaudato, peropportune statutum est. Profectio dolendum est et paucos esse homines ab orientalibus rebus omni numero instructos et ipsos per regiones dissitas dispersos; ita ut utilissimum sit eosdem saepius congregari (id est singulis saltem annis), non modo quo altius uberiorusque ea omnia exponantur quae ad oecumenicam Ecclesiae unitatem pertinent, sed etiam quo efficacius rationes cognitae deliberationesque usquequaque divulgentur. Quapropter laetamur quod doctores Nostri Instituti Orientalis de Urbe, una cum aliis peritis viris, primum istum pro Orientalibus studiis conventum participant, ut congregatis praecipua tradant orientalis theologiae capita novosque excitent scientiae huius cultores: »illud persuasum habentes, ex recta rerum cognitione aequam hominum aestimationem sinceramque benevolentiam efflorescere, quae Christi caritati conjuncta, religiosae reconciliationi unitatique quam maxime est, Dei munere, profutura«. Ne cesses igitur, Venerabilis Frater, tam salutare coeptum urgere, una cum eis quos habes operis socios, imprimisque cum sollertissimo viro Francisco Grivec, doctore, de his studiis tam bene merito. Nos vero, intercessoribus sanctis apud Deum adhibitis Cyrillo et Methodio, regionum istarum apostolis, assistricem divini Spiritus sapientiam precamur vobis vehementer; quorum caelestium donorum praenuntia caritatisque Nostrae testis Apostolica sit Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, iisque omnibus qui coetibus intererunt amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis Junii anno MCMXXV, Pontificatus Nostri quarto.

Pius PP. XI.

Deinde prof. Dr. Franc. Grivec, qui commisioni conventum praeparanti praesidebat, haec verba ad coetum direxit:

»Secundum ea, quae Conventus Velehradensis IV. statuerat, parabamus cursum didacticum theologiae orientalis. — Eruditis, ad praelectiones habendas convenientibus eo ipso opportunitas praebetur, ut de studiis orientalibus provehendis deliberent. Ideo praesidi Instituti Pontificii orientalis (P. M. d'Herbigny) et aliis viris rerum orientalium peritis, Augustissimo Pontifice Pio XI. approbante, placuit, non solum cursum didacticum, sed conventum studiis orientalibus provehendis congregare. Praeter omnium expectationem tot viri illustres doctique se venturos promiserunt et convenerunt, ut iam ipsa Conventus amplitudo rei gravitatem comprobaret. — Quod non sine numine evenit. Deus vult! Deo gratias!

Conatus ecclesiae unitati provehendae caritas movet, quae duabus fontibus alitur duabusque alis sursum levatur: precibus ad Deum Optimum atque scientia. In oratione pro unitate ecclesiae, a Benedicto XV. commendata, rogamus, ut spiritu concordiae et caritatis acceleretur dies, in qua nostrae orientaliumque preces coniungantur. — Utinam conatus nostri, theologiae ecclesiaeque

orientalis cognoscendae, fratres orientales excitent ad conatus aemulos, suarum nostrarumque rerum cognoscendarum et aestimandarum, ut nostris occurrant conatibus, ut veritatem facientes in caritate (Eph. 4, 15) omnes occurramus in unitatem fidei et oecumenicae ecclesiae Christi.«

Dr. Matthia Slavič, facultatis theologicae Labacensis decano, preponente per acclamationem electi sunt Conventus praesides, moderatores et officiales:

1. Praesides honoris causa electi sunt omnes sacrorum Antistites praesentes, quorum personam in sessionibus agebant Rmi DD. Dr. Leop. Prečan, archiep. Olomucensis, Dr. Ant. Bonav. Jeglič, ep. Labacensis, Dr. Dionys. Njaradi, ep. Crisciensis.

2. Moderatores sessionum scientificarum: P. Mich. d'Herbigny, Dr. Franc. Grivec; secretarii: Dr. Franc. Lukman, Dr. Andr. Snoj.

3. Moderatores sessionum ad res orientales lingua Slovenica et Croatica evulgandas: Dr. Cam. Dočkal (qui tamen ex inopinato impeditus erat, quominus ad congressum veniret), Dr. Aloys. Mershär, Dr. Joan. Višoševič O. S. Basil.; secretarii: prof. Barthol. Pavlin, Dr. Cyr. Potočnik, Franc. Koretič.

Rmus D. archiepiscopus L. Prečan, postquam praesidis locum occupavit, haec fere dixit:

»Gratias agens quam maxime sinceras pro honore in me acclimatione omnium praesentium colendissimorum hospitum huius Conventus, qui studiis orientalibus promovendis vacabit, collato meum esse duco, ut qua archipraesul Moravorum omnibus vobis a sepulchro s. Methodii salutationem afferam cordeque intimo dicam. Populus fidelis curae meae commissus eiusque sacerdotes attentione maxima prosequuntur labores nostri Conventus eosque orationibus suis adiuvabunt, ut fructus afferat uberrimos. Sane si viderent tantam Conventus frequentiam, gauderent nobiscum bene cognoscentes, ideam, pro qua laboramus, cogitamus, vivimus, tantam habere vim, ut tot viros officio, doctrina, pietate, meritis conspicuos ex omnibus mundi catholici partibus huc Ljubljanae albam coegerit et quodammodo traxerit. Non morietur, cui tanta inest vis! Ego ipse, videns in nostro Conventu clarissimos DD. professores orthodoxae facultatis Belgradensis, qui operam navare cupiunt rei omnibus nobis carissimae, non possum non gaudere bene sentiens, quid praesentia Dominorum horum aestimandorum pro ecclesia Dei significet. Gratias eis exsolve opus est, quod iunctas nobiscum manus applicare cupiunt operi Deo et hominibus probis caro. . . . .

Nemo autem nobis obmoveare potest nos propriam gloriam vel ecclesiae catholicae praedominationem nostro labore moliri velle. Haec obiectio iam antiquata est; hodie vel ipsi heterodoxi<sup>1</sup> sentiunt,

<sup>1</sup> Cf. verba prof. J. L. Hromádky (prof. facultatis protestanticeae Pragensis), Katolicism a boj o křest'anství pag. 152: »Leč ani v katolické

non agi de ecclesiae Latinae imperialismo, sed de unione regni Dei in terris, ad quam procurandam orationes ad Deum fundendae ab optimis Pontificibus praecipiuntur. Atvero opus tam sublime ex una parte, sine fervore ex parte hominum et sine multa patientia perfici nec potest nec umquam poterit.«

Illustrissimus praeses dein salutavit optimas quasdam Dominas praesentes et gratiis actis Rmo praesuli Labacensi sic prosecutus est sermonem:

»Cum Congressum unionisticum an. 1924 absolutum declararem, tristis quaedam cogitatio mihi in mentem venit. Ac si futuri temporis providerem eventum luctuosum, rogavi omnes praesentes, ut, si quos e nobis a Deo ex hac lacrimarum valle avocari contigerit, memores simus animarum eorum. Ecce quid acciderit! Rmus D. episcopus Augustinus Fischer-Colbrie, praesul pientissimus aequa docitissimus, Congressum unionisticorum decus, morbo longiore patientissime tolerato, dereliquit nos ad recipiendam meritorum mercedem a Deo clementissimo avocatus. Item vir clarissimus, historiae ecclesiasticae in universitate Pragensi professor, Stejskal, operibus suis scientificis omnibus notus, praeter omnium opinionem pie in Domino defunctus est. Hinc ratio orandi: Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis!«

Post sermonem Rmi praesidis complures viri illustres verba dixerunt salutatoria atque Conventui felicem faustumque successum exoptarunt, nimirum: Rmus D. administrator Silesiae Polonae Dr. Aug. Hlond nomine episcopatus, praelatus Ant. Około-Kułak ex mandato Rmi metropolitae Mohileviensis Eduardi de Ropp, R. P. Damianus Gjulov O. M. Cap. nomine catholicorum Bulgariae, R. P. Mich. d'Herbigny S. J. ut praeses Instituti Pontificii Orientalis, R. D. Dr. Matth. Slavíč nomine facultatis theologicae Labacensis, R. P. Jos. Lepka S. J. nomine provinciae Čechoslovachiae Soc. Jesu, R. D. Dr. Andr. Živković nomine facultatis theologicae Zagrebiensis.

Verbis P. Lepka, qui domus exercitiorum Velehradensis »Stojanov« nuncupatae mentionem fecit, Rmus archiepiscopus Olomucensis pauca subiunxit in memoriam Ant. Cyr. Stojan, predecessoris sui piae recordationis, eiusque animae requiem aeternam in Domino adprecatus est.

---

církvi nikdy nescházelo duchů, kteří s bolestí se divali na rozklad Kristovy církve a kteří z důvodů ryze křesťanských toužili po obnově jednotného ovčince. Nepochybujeme, že i na stolci papežském seděli věrní pastýři, kteří z čisté péče o lidské duše volali po sjednocení rozptýleného stádce! Což je možno věřit, že všechny snahy a pokusy katolické, aby kaciři byli opět získáni v poslušenství papeže, měly původ jen v panovačných a vládčitivých choutkách hierarchických? Mohu věřit, že světová a věkovitá církev katolická je jen požůstatkem lidských hříchů a poblouzení? Ze všechny výzvy k molitbám, aby svět se spojil v jednu církev Kristovu, představovanou římským nástupcem Petrovým, jsou pouhou lží a záštěrou imperatorských nároků?«

Rmo D. episcopo Labacensi propnente telegramma homagiale missum est Augusto Pontifici.

Praelectis a secretario compluribus salutationibus, quae vel telegraphicce vel in epistolis pvererunt, Rmus praeses hora 12½ finem sessionis inauguralis indixit.

Hora 3. pomeridiana in ecclesia cathedrali magno populi concursu preces pro ecclesiae unitate factae sunt. R. P. Valerianus Učak Ord. Teut. sermonem sacrum habuit infra in III. parte relatum.

Hora 4½ Academia sollemnis parata est in aula amplissima »Union«, quae hospitum multitudinem vix capere potuit. Insigni loco imago ss. Cyrilli et Methodii, ab artifice Russo exsule pulchre depicta, proposita erat. Dr. Franc. Grivec hospites affatus est lingua Slovenica, grato animo commemorans Augustum Pontificem, qui Conventui litteras miserat apostolicas, et Serenissimum Regem, cui, plaudentibus omnibus, telegramma missum est. Dein episcopos, magistratus publicos et civiles et militares, civitatum externarum consules, Instituti Pontificii Orientalis de Urbe moderatorem et professores, facultatis orthodoxae Belgradensis delegatos, universitatis Labacensis rectorem magnificum, capitulum cathedrale Labacense, theologicas facultates Zagrebiensem et Labacensem, praefectores in conventu, Russos hospites, societatem »Ljubljana«, hospites exteriores aliasque plures nominatim ex ordine salutavit. Post haec disseruit, quid momenti Conventui pro studiis orientalibus insit: hanc sermonis partem, lector, infra iavieis. R. P. Dr. Guido Rant O. F. M. panegyricum habuit in ss. Slavorum apostolos Cyrrillum et Methodium, Dr. Fr. Grivec celebravit Vladimirum S. Solovjev, qui quinque abhinc lustris e terris in patriam migravit. Š. Kuratov, exsul Russus, duo poëmata Solovjevi, »Ex Oriente lux« et »Emmanuel« inscripta, profundis plena sententiis, ingeniose recitavit. Associacio »Ljubljana« quatuor cantiones ad voces inaequales unamque ad voces aequales compositas, multa cum arte decantavit. Insuper hospites conspicui, sua quisque lingua, Conventui salutem dixerunt hoc ordine: Rmus episcopus Dr. Henr. Przeździecki pro Polonis, vir spectabilis Ant. Likozar pro urbe Ljubljana, decanus Dr. Dimitr. Stjefanović pro facultate theologica Belgradensi, D. Franc. Jemelka nomine hospitum Čechorum, Dr. Paulus Žiška pro Slovachis, praefectus provinciae (veliki župan) Dr. Guil. Baltič, P. Severinus Salaville O. S. Aug. ab Assumpt., prof. Dim. VI. Trost pro Russis exsulantibus, Mons. Paulus Chodniewicz, episcopi Cieplak in persecutione socius, prof. Pechuška Pragensis, can. Dr. Al. Merhar congregacionum Marianarum director dioecesanus, et ultimo protoiereus Russus Sluckij, qui, infelicitis patriae memor, animo commotus exclamavit, Christum nunc in Russia crucifigi, quapropter necessariam esse reconciliationem ecclesiarum.

Vespere hora 8½ prof. Dr. Andr. Snoj in aula »Ljudski dom« vitam apostolicam ss. Cyrilli et Methodii verbis et imaginibus sci-

opticis, quae dicuntur, illustravit. Feria III. eadem hora, eodem loco eodem modo prof. Dr. Fr. Grivec »Russiam sanctam« auditibus conspiciendam obtulit.

Feria II., die 13. iulii, Conventus scientificas de Oriente christiano quaestiones tractandas aggressus est. Sessio I. ab hora 9. usque ad 11½ habita est in aula maxima »Union«, praesidente Rmo D. archiepiscopo Olomucensi. Praelectiones habuerunt: P. Theoph. Spáčil S. J. de membris ecclesiae; P. Mich. d'Herbigny S. J. de corpore Christi mystico; Dr. Fr. Grivec de unitate ecclesiae. Praelectiones in II. parte typis excusas habes.

Finita sessione Rmorum episcoporum imago photographica facta est.

Post meridiem, mox post horam 3., in eadem aula Dre. Aloysio Merhar praeside conventus est celebratus, in quo quaestiones ad Orientem christianum spectantes faciliore modo, solide tamen, in lingua vulgari explanabantur, ad quem multi laici, viri ac mulieres, confluxerunt. P. Steph. Šakač S. J. disseruit de fundamentis ecclesiasticae unitatis. Sermones in sessionibus pomeridianis prolatos in III. parte invenies. Deinde Dr. F. Grivec Serbice exposuit rationem, qua de ecclesiastica unitate in hoc conventu agitur. Fusius proposuit ea, quae succinete et nervose Latine respondit ad observationem P. Lepka, ut habes in fine paelectionis de unitate ecclesiae. Prof. Dr. Jos. Debevec Slovenica lingua locutus est de ideis religiosis in poesia nationali Serborum. Hora 4½ conventus iste finitus est.

Ab hora 4½ usque ad 6 sessio scientifica continuabatur praesidibus Rmis episcopis Labacensi et Crisciensi. P. M. d'Herbigny verba fecit de studiis orientalibus apud catholicos promovendis. Monuit etiam de methodis, quibus bolševismus in Russia utitur, ad extirpandam e cordibus omnem religionem, non solum christianam. Exemplum proposuit librum recentem, in quo complures series conferentiarum, variis hominum classibus et aetatibus adaptatarum, collectae sunt eo tendentes, ut odium contemptumque religionis excitent et ad purum putumque materialismum pertrahant. — P. Spáčil et Dr. Grivec responsa dederunt ad observationes, quaestiones et difficultates, quas auditores quidam scriptis proposuerunt.

Hora 6½ P. M. d'Herbigny lingua Latina brevem meditationem (de Christo, fonte unitatis) pro sacerdotibus instituit, quam preces pro ecclesiastica unitate subsecutae sunt.

Feria III. die 14. iulii sessio scientifica hora 9. incepta ultra meridiem protracta est. Praesidebant Rmi episcopi Jeglič et Njaradi. Praelectionum hic erat ordo: P. Raym. Janin, De hodierno statu ecclesiarum et rituum orientalium; P. Damianus Gjujov, De statu ecclesiae Bulgaricae; P. Severinus Salaville, De cultu ss. Eucharistiae in Oriente; Dr. J. Kalaj, De liturgia Graeco-slavica. Inter paelectionem paenultimam et ultimam breve temporis intervallum est positum, quo moderatorum et paelectorum

imago a photographo est facta, P. B. Bourgeois S. J. se venire non posse nuntiavit, dissertationem tamen de ritus orientalis indeole misit quae ob temporis angustiam paelegi non potuit. Textum II. parti inseruimus.

In conventu pomeridiano, cui praesidebant Dr. Al. Merhar et P. J. Višošević, episcopus Dr. Njaradi relationem ss. Eucharistiae ad ecclesiae unitatem ostendit, P. R. Rogošić O. F. M. statum ecclesiae orthodoxae in Jugoslavia delineavit. Uterque orator Croata lingua usus est.

Ab hora 4½ usque ad 6 materia scientifica porro tractabatur. Primo Mons. C. Margotti Codicis Juris canonici ad ecclesiam orientalem relationem exposuit. P. Salaville de divulgandis studiis orientalibus sermocinans haec protulit desideria: 1. ut manualia edantur varias disciplinas theologicas tractantia, ex quibus facilior rerum orientalium notitia possit hauriri; 2. ut editiones et collectiones procurentur textuum orientalium sive nondum editorum sive eorum, qui difficulter obtinentur; 3. ut parentur et edantur bonae monographiae de specialibus quaestionibus ex vasto ambitu theologiae orientalis; 4. ut folia periodica exacta sint si scribunt de rebus ecclesias orientales attingentibus.

Hora 6½ in ecclesia cathedrali preces pro ecclesiae unitate institutae sunt cum litanis et benedictione sacramentali.

Feria IV., die 15. iulii ab h. 9. usque ad 12. sequentes erant paelections: M. Viller, De exemplari ideali sacerdotali et monastico usque ad saec. IX.; Dom. P. de Meester, De disciplina monastica post saec. IX.; P. J. Višošević, De hodierno statu vitae religiosae in Oriente. Ante paelectionem ultimam tres factae sunt cogenesisistarum imagines.

Post meridiem a hora 3½ usque ad 4½ agitabantur quaestiones practicae Apostolatum ss. Cyrilli et Methodii spectantes. De Apostolatus actione inter Slovenos relationem fecit Dr. A. Snoj, pro Croatia Dr. J. Oberški, Mons. Kozak et prof. Pechuška pro Čechoslovachia.

In continuatione sessionis scientificae a h. 4¾—5% praeses, episcopus Njaradi, proposuit, ut metropolitae Andreae Šepickij salutatorium mitteretur telegramma, quod omnibus placuit. P. Viller et Dom Pl. de Meester ad propositas quaestiones breviter responderunt. P. M. d'Herbigny concilii Nicaeni ante XVI saecula coacti momentum explanavit.

Rmus praeses dein verbis affectu plenis omnibus, qui in Conventu sive parando sive celebrando quocumque modo partem habuere, gratias agens, eum finitum esse declaravit.

Hora denique 6½ in ecclesia cathedrali sollemniter gratiae actae sunt Deo pro Conventus felici progressu et fine. Rmus D. episcopus Labacensis concionem infra relatam habuit.

Tempore Conventus in aedibus Collegii Aloysiiani expositi erant libri selecti de rebus ecclesiasticis orientalibus.

Feria V., die 16. iulii, hora 9. antemeridiana convenerunt paelectores et theologiae professores ad consilia de studiis orientalibus promovendis conferenda. Omnibus placuit: 1. ut catalogus componatur centrorum catholicorum, in quibus docentur et investigantur res ecclesiasticae orientales, quatenus relationes instituantur mutuae, autonomia singulorum servata; 2. ut pariter elenches componatur acedemiarum et studiorum institutorum orthodoxorum necnon conspectus publicationum periodicarum et collectionum ab orthodoxis editarum; 3. ut edatur bibliographia annua vel semestralis librorum et articulorum de rebus orientalibus agentium cum brevissimo summario tractatum; (cum bibliographia Armenica iam publicetur, in novam hanc bibliographiam potiora tantum ex rebus Armenicis assumantur); 4. ut ephemeredes studiis orientalibus destinatae omnibus pateant, ut elucubrationes suas eis inserere possint; 5. ut an. 1926 Conventus pro studiis orientalibus habeatur in urbe Chicago, ita quidem, ut in sectione orientali Congressus eucharistici internationalis habeantur sermones pro populo, post Congressum vero eruditi tractent de promovendis studiis orientalibus in America et per auxilia Americanorum.

Rmus episcopus Labacensis relationem de Conventus Labacensis celebratione Augustissimo Pontifici misit.

Addenda censemus nomina eorum, qui absentes salutationes et vota Conventui miserunt vel per telegraphum vel per litteras.

Telegogrammata miserunt: Archiepiscopus Kordač, Praha; episcopus Akšamović, Djakovo; episcopus Kmetko, Nitra; episcopus Marčelić, Dubrovnik; episcopus Mišić, Mostar; episcopus Srebrnić, Krk; Borković, Sisak; Dočkal, Zagreb; Dulčić, Brusje; Mons. Hrdy, Niš; Hrnjuk, praeses Unionis Ukrainianae, Praha; Hrurban, Olomouc; Kremer, Lublin; Tensundern, Gladbeck; Toloczko, Wilno; Directio periodici »Nova revija«, Makarska.

Litteras vero miserunt: Archiepiscopus H. Pellegrinetti, nuntius apostolicus in regno SHS, tunc Romae degens; archiepiscopus J. Cieplak per praefatum Ant. Okolo - Kulak; prof. Ž. Perić, Beograd; N. Klimenko, Paris; Quenet, Paris; Mons. G. Biasiotti, Roma; Staroslavenska Akademija, Krk; »Rúža Sušilova«, Brno; Cyril-Metodijska Liga, Praha.

## II

### DE MEMBRIS ECCLESIAE.

P. Theophilus Spáčil S. J. — Roma.

Pro iis, qui ad unitatem ecclesiarum separatarum cum ecclesia catholica adlaborant et qui theologiae dissidentium student, non parvi est momenti determinate scire, quinam homines ut membra verae Christi ecclesiae considerari possint et debeant. — In hac elucubratione: I. doctrinam catholicam de hac re proponemus, II. doctrinam orthodoxorum, III. utramque inter se comparabimus; deinde duabus quaestioni bus particularibus respondebimus: IV. utrum schismati ci mere materiales membra ecclesiae censi possint, V. utrum orientales separati iure ex principiis suis catholicis rationem membra ecclesiae dene gare possint.

I. *Doctrina catholica.* — 1. *Explicatio terminorum et status quaestionis.* — Ecclesiam intelligimus societatem religiosam a Christo fundatam, eamque credimus societatem visibilem, externam, vinculis iurisdictionis unitam, sed simul societatem intrinsece et essentialiter supernaturalem, verum mysticum corpus Christi, a quo omnis actio supernaturalis in ecclesiam tamquam a causa actualiter etiam principali pro cedit. — Membra alicuius societatis sunt ii homines singuli, qui tamquam partes integrales totum societatis componunt. — Quaerimus igitur simpliciter, omittendo nunc distinctionem aliquorum theologorum de corpore et anima ecclesiae, quinam homines possint ut partes integrantes societatis illius externae sed et intrinsece supernaturalis censi. — 2. *Principia generalia.* — a) Cum ecclesia sit societas visilibus, externa, vinculis iurisdictionis unita, non potest esse membrum eius ille, qui nullo externo, visibili vinculo ecclesiae iungitur; b) cum ecclesia sit societas intrinsece et essentialiter supernaturalis, non potest esse eius membrum, qui supernaturalem vitam eius nullo modo, neque initialiter, participat; c) non est tamen necesse, ut quis omnibus viculis, quibus membra ad societatem ecclesiae uniri possunt, re vera ecclesiasticae societati adstrin gatur, neque necessarium est, ut vitam eius su-

per naturalem ex toto et perfecte participet: possunt igitur dari diversi gradus membrorum, quorum aliqua strictius, alia minus stricte ecclesiae iunguntur; d) si quis certis vinculis ecclesiae membrum adiunctus est, tam diu rationem membra participare dicendus est, quamdiu contrarium non probetur. — 3. *Axioma primum.* — Ecclesia non est societas praedestinorum. Praedestinatio enim est aliquid invisible, esset igitur ecclesia invisibilis. Haec propositio est certa et de fide ex damnatione erroris contrarii I. Wicleff et I. Hus ut haeretici. — 4. *Axioma secundum.* — Baptisma valide collatum est vinculum necessarium et per se sufficiens, ut quis membrum ecclesiae sit. — Est vinculum necessarium, cum a) s. scriptura baptismum conditionem esse docet, ut quis corpori ecclesiae adiungatur (Mt 28<sup>18</sup>, Mc 16<sup>16</sup>, Act 2<sup>11</sup>, Act 8<sup>12</sup>, 1 Cor 12<sup>13</sup>); b) s. Patres solos baptizatos fideles, christianos vocant, per baptismum hominem ecclesiae inseri, ab ea pari, non baptizatos esse extores, in atrio, vestibulo esse docent; — est vinculum sufficiens, cum Christo capiti iungit et ex sese est professio fidei ecclesiae et subiectio auctoritati Christi — per se sufficiens, nam in iis, qui actuum humanorum capaces sunt, debet ista professio fidei, et subiectio auctoritati actibus externis manifestari. — Hoc axioma est certum, a Conc. Flor. et Trid (D 696, 895) non quidem definitur, sed supponitur et (in Trid. occasione alterius rei) enuntiatur. — 5. *Corollaria ex hoc axiome:* a) Catechumeni non sunt membra ecclesiae. Haec propositio est nobis certa, cum ea, quae in contrarium proponi solent, non probant nisi catechumenos ex vita spirituali corporis mystici ecclesiae participare. b) Homo invalidus baptizatus, licet defectus eius baptismi ignoratur et ille communiter baptizatus habetur, non est membrum ecclesiae. Hanc propositionem ut probabilem defendimus. c) Quicunque rite baptizatus est, quamdiu membrum ecclesiae habendus est, quamdiu contrarium solide non probetur. — 6. *Axioma tertium.* — Peccatores baptizati propter solum peccatum ab ecclesia non excluduntur. — Hoc enim a) iam scriptura in parabolis (de zizanis etc.) docet; b) unanimis traditio PP., praesertim contra Donatistas, confirmat; c) rationes theologicae comprobant (e. gr. institutio sacramentorum intentia e pro membris ecclesiae). Est propositio certa, immo ex condemnatione haeresis Wicleff et Hus de fide. — 7. *Axioma quartum.* — Haeretici et schismatici publici formales non sunt membra ecclesiae. — Hoc enim a) ex unitate ecclesiae sequitur, quae est unitas fidei et communionis, b) unanimiter a traditione affirmatur, secundum

quam haeretici et schism. sunt extorres, segregati, aperte foris, vitandi etc., conversi ab haeresi et schismate in ecclesiam redeunt, recipiuntur, ingrediuntur etc. — Doctrina haec fidei proxima consideranda est ex praxi ecclesiae et magisterio ordinario. — 8. *De haereticis schismaticisque occultis et de excommunicatis theologorum sententiae.* — Communior est sententia occultos (et internos) haereticos et schismaticos esse membra ecclesiae, quae sententia in dictis complurium Patrum et ratione theologica (retinent scil. tales iurisdictionem ordinariam) fundatur, et nobis probabilius apparuit iam ex principio supra (n. 5, c) prolatu: baptizatum tamdiu membrum censeri debere, quamdiu contrarium non probatur. Ex eodem principio adhuc ut probabilem habemus sententiam, quae excommunicatos omnes membra ecclesiae habet, licet nunc fere communis sententia tenet excommunicatos vitandos non esse membra. Excommunicatio enim est poena medicinalis et strictae interpretationis, neque effectus aliquis ipsi adscribendus est, qui explicite non enuntiatur. — (De haer. et schism. mater, in num. IV.)

II. *Doctrina separatorum.* — 1. Theologi Orientis separati quidem internam indolem ecclesiae magis inculcant quam externam, aliqui etiam ecclesiam terrestrem simul visibilem et invisibilem esse aiunt (Filaret, Andrutsos), sed communiter ecclesiam in terris ut externam et visibilem societatem accipiunt (Pedalion, Nikodim, Malinovskij etc.), quare etiam membra visibili vinculo ecclesiae iungi debere docent. — 2. Communiter igitur conceptum ecclesiae *ut invisibilis coetus hominum praedestinatiorum reiciunt*, quem conceptum Nikodim contradictionem involvere censem. — 3. *Baptismum* considerant ut ianuam ecclesiae, et *conditionem necessariam et per se sufficientem* ad hoc, ut quis sit membrum ecclesiae (Makarij, Andrutsos, Kefalas, Filaret, Pedalion), complures hunc effectum expresse inter baptismi effectus enumerant. — 4. Licet unitatem internam ecclesiae magis inculcant quam externam, tamen omnes docent etiam unam externam professionem eiusdem fidei omnibus membris ecclesiae necessariam esse. Et paucis exceptis (Melnikov, Glubokovskij, Svjetlov), qui censent sufficere ad hanc unitatem tenere articulos quosdam fundamentales, omnes affirmant *quamcunque haeresin ab unitate et communione ecclesiae excludere*. Non tamen semper clare inter haeresin et apostasiam, haeresim publicam et occultam, materialem et formalem distinguunt. — Item docent omnes *necessariam esse ecclesiae unitatem communionis et subjectionis auctoritati hierarchicae, schismaticos igitur ab unitate et communione ecclesiae excludunt*; sed iterum non solum clare non distinguunt inter schismaticos formales et materiales, publicos et occultos.

sed aliquando schisma cum mera inobedientia confundere videntur (Andrutsos, Pedalion); et praesertim *non indicant, quae nam sit illa auctoritas hierarchica*, a qua quis deficiens schismaticus evadit; neque mirum est eos hoc non indicare, cum de ipsis supremae auctoritatis in ecclesia essentia et indole dubii haereant. — 5. Concedunt *peccatores* etiam graves et publicos, *membra ecclesiae remanere posse*. Nihilominus *complures* theologi (Catechismus Filaretii, Antonij, Makarij, Filaret, Malinovskij) censem ab ecclesia *excludi* non solummodo illos peccatores publicos, qui ab auctoritate ecclesiastica excommunicantur, sed etiam tales *peccatores impenitentes, quos Deus »invisibili suo iudicio« ab ecclesia separat*, — 6. Distinguente inter *excommunicationem* maiorem (ἀφορισμὸς παντελῆς, otlučenje bolšoje) et *excommunicationem minorem* (ἀφορισμὸς μικρός, otlučenje maloje), communiter *excommunicatos* *excommunicatione maiore ab ecclesia excludunt* (Nikodim, Makarij, Malinovskij). — 7. *Quaestiones secundarias* (de catechum., haer. occult., homine invalide bapt.) *non tractant*.

III. Utraque doctrina comparatur. — Comparatione instituta inter doctrinam separatorum et doctrinam catholicam dici potest *orthodoxos*, si communis doctrina theologiae eorum spectatur, in quaestione de membris ecclesiae *convenire* cum iis, quae ecclesia nostra aut definivit aut communi consensu theologorum apud nos docentur. — *Discrimen solum est:* a) nulla propositio, quae hac in re a theologia orientali proponitur, agnoscitur ab orientalibus separatis fide credenda, quandoquidem nulla ab aliquo concilio oecumenico, quod omnes supremum, et plerique unicum, infallibile tribunal fidei habent; b) complures theologi rationem membra ecclesiae denegant peccatoribus impenitentibus »secreto Dei iudicio« separatis; c) propter conceptum non satis accuratum, quem habent de haeresi et schismate, et ob incertitudinem, qua laborant circa determinationem et subiectum supremae ecclesiasticae auctoritatis, non solum quaestioni, quid sit de haereticis, schismaticis materialibus, occultis etc. non respondent, sed neque clare determinare valent, quinam proprie censendi sint excommunicati, haeretici, schismatici. — Notum est e. gr. concilium Constantinopolitanum a. 1872 excommunicasse ab ecclesia Bulgaros, cum quibus tamen communionem retinuerunt aliae ecclesiae autocephalae, e. gr. ecclesia Russiae. (De diversis sententiis, utrum catholici censendi sint schism., vel haeret., v. num. V.)

IV. Utrum haeretici et schismatici materiales membra ecclesiae censeri possint.<sup>1</sup> —

<sup>1</sup> Quaestio ponitur de adultis schism. et haer., cum infantes in schism. vel haeresi baptizatos omnes membra esse ecclesiae facile concedunt.

1. Nullum est dubium eos ad »aniam« ecclesiae pertinere, iuxta modum loquendi eorum theologorum, qui *corpus et animam ecclesiae* distinguunt. — 2. Nullo pacto nobis probatur quorundam opinio, iuxta quam tales (saltem schism. mater.) pertinerent ad ecclesiam *prout est corpus mysticum, non autem prout est corpus sociale*, nam ex definitione supra (n. I. 1.) data ipsam externam societatem ecclesiasticam supernaturalem corpus mysticum Christi vocamus. — 3. Ex principio supra (n. I, 5, c) proposito (scil. omnem baptizatum tamdiu membrum ecclesiae remanere, quamdiu contrarium positive non probetur) videretur sequi schismaticos, et etiam haereticos, mere materiales esse membra ecclesiae. Nam per baptismum in ecclesiam ingressi sunt, neque ex dictis Patrum et documentorum ecclesiae, quae schismaticos et haereticos ab ecclesia excludunt, videtur probari posse, etiam haereticos et schismaticos materiales extores esse, cum vix non omnia illa testimonia de solis haer. et schism. formalibus explicari possint. — 4. Adsunt tamen rationes probabiles, propter quas e contra *excludi* videntur. a) Patres et documenta traditionis simpliciter totas sectas haereticorum et schismaticorum ab ecclesia excludunt, in quibus certe praeter haereticos formales etiam plures materiales inveniebantur; b) ecclesia haereticos et schismaticos materiales, si ad catholicam convertuntur, vere recipit, admittit etc. ad ecclesiam; c) haeretici et schismatici non excluduntur ab ecclesia praecise ratione eorum peccati (nam peccatores publici, etiam maximi, propter peccatum suum non excluduntur), sed ratione defectionis ab ecclesia unitate, quae etiam in materiali haeresi vel schismate habetur. — Ad primam et secundam rationem tamen responderi posset omnes haereticos et schismaticos proforo externo praesumi esse formales et extra ecclesiam, licet de facto, si materiales sint, membra esse non desinant; tertia ratio sententiam, quae materiales haereticos et schismaticos ab ecclesia excludit, vere probabilem facit.

V. Utrum orientales separati catholicos a vera Christi ecclesia extores iuxta principia sua theologiae iure dicere possint?

1. *Praenotanda.* — Generatim quidem ex modo scribendi theologorum dissidentium, qui ecclesiam suam saltem implicite semper ut unice veram supponunt et Romanos catholicos ut adversarios oppugnant, concludere licet eos censere catholicos extra veram ecclesiam versari. Si tamen quaestio determinate ponitur, utrum catholici membra ecclesiae sint necne, aliqui eos excludunt sive ut haereticos sive ut schismaticos sive quia recte non baptizatos (Pedalion, Sylvester, Filaret, A. Lebedev), alii tamen eos haeresis aut schis-

matis accusare et ab ecclesia excludere non audent (Plato, Malcev, Svjetlov, A. P. Lebedev). — 2. *Orientales separati catholicos ab ecclesia extorres dicere non possunt eo titulo, quod rite non sint baptizati.* — Orthodoxi quidem docent baptismum per trinam immersionem esse conferendum, et hanc conditionem complures in ipsa definitione baptismi ponunt; nihilominus Russi baptismum Latinorum per ablutionem collatum nunc validum habent. Graeci considerant baptismum talem invalidum, sed potius quam ob defectum immersionis ex principio suae theologiae sacramenta extra veram ecclesiam collata esse invalida, complures autem hodierno tempore inter Graecos concedunt baptismum talem per *olxorouia*, via igitur administrationis, ratihaberi et catholicos sine novo baptismate in ecclesiam orthodoxam recipi posse. — Sed admisso etiam principio illo sacramenta extra ecclesiam nulla esse, quod tamen plurimis documentis traditionis falsum esse comprobatur, a) orientales separati absque petitione principii affirmare non possunt catholicos extra veram ecclesiam esse, nisi prius ostendant eos aut haereticos aut schismaticos esse; b) si baptismata catholicorum re vera invalidum esset, ilud per *olxorouia* ratihaberi non posset, cum a) talis enormis potestas ecclesiae, ut per viam administrationis sacramentorum effectus supplere possit, nulla ratione probetur, et cum b) patentibus ipsis orthodoxis ecclesia ne materiam vel formam sacramentorum mutare vel substituere possit. — 3. *Dissidentes catholicos non possunt ab ecclesia excludere ut haereticos.* — Haereticos enim sicuti nos, eos vocant, qui universalem professionem fidei reiciunt vel a dogmate ecclesiae recedunt, licet non semper satis haeresim ab apostasia distinguunt (Pedalion, Nikodim, Antonij, Malin.). Dogma autem appellant veritatem revelatam a magisterio ecclesiae infallibiliter ad credendum propositam. Haec infallibilis doctrinae propositio ex opinione eorum aut fit a conciliis oecumenicis, qualia iuxta ipsos fuerunt prima septem concilia universalia, aut habetur ex consensu ecclesiae universalis in tenenda certa veritate revelata conspirante. Sed a) orientales separati iure quidem affirmare possunt complura ex iis, quae ab ecclesia catholica post septimum concilium aut solemniter definita sunt aut communis consensu in ea praedicantur, non quidem fuisse in primis conciliis iam definita, sed nulla ratione ostendere possunt in aliquo ex septem conciliis definitum fuisse contrarium illius quod ecclesia catholica ut dogma tenet; b) neque dicere possunt ecclesiam catholicam a consensu ecclesiae universalis defecisse, nisi per principii peti-

tionem supponunt communionem ecclesiasticam ipsorum solam veram fidem conservasse, ideoque eam solam veram ecclesiam Christi esse. — 4. Separati non possunt denegare catholicis rationem membrae verae ecclesiae eo titulo, quod sint schismatici. — Separati orientales nullam proprie habent supremam auctoritatem permanente, cum concilia oecumenica non semper celebrantur, et episcopatus universus abque unius supra alios iurisdictione practice supremam in ecclesiam potestatem exercere non potest; quare aliqui (Grivec) merito concludunt eos quidem posse loqui de schismate contra singulas ecclesias particulares, non autem de schismate contra ecclesiam universalem. — Sed nullo in casu possunt iure catholicos arguere schismatis; neque a) quod ab auctoritate conciliorum oecumenicorum recesserint, cum catholici septem priora concilia agnoscant, neque b) quod ab ecclesia universalis sese separaverint; nisi cum petitione principii supponant solam ipsorum communionem ecclesiasticam veram fidem conservasse, ideoque eam solam veram Christi ecclesiam esse.

\*

Breviter omnia, quae dicta sunt, recapitulemur. — Primo loco doctrinam catholicam proposuimus; qua in re ea retulimus quae a magisterio ecclesiae traduntur vel communi theologorum consensu accipiuntur, in unica re a consensu communi theologorum recessimus, scilicet recensendo excommunicatos quoslibet ad membra ecclesiae; deinde doctrinam dissidentium explicavimus; comparavimus tertio utramque doctrinam ad invicem et invenimus differentias hac in re non esse nisi accidentales. Respondimus tandem duabus quaestionibus particularibus: utrum schismatici materiales membra ecclesiae dici possint, et utrum disidentes iure ex principiis propriae theologiae catholicos possint dicere a vera Christi ecclesia extores.

Totam igitur quaestionem theologicam de membris ecclesiae omnesque quaestiones, quae hic moveri possunt, pertractavimus, quantum temporis spatium permisit. Non est autem quaestio haec mere theoretica, sed valde practica, quaestio enim agitur quinam ad corpus Christi mysticum ideoque ad Christum proprie pertineant. »Haec dicuntur«, ita in Tract. 27. in Ioannem s. Augustinus, cuius verbis finem paelectioni nostrae imponamus, »haec dicuntur, ut amemus unitatem et timeamus separationem. Nihil enim sic debet formidare christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum eius, non vegetatur Spiritu eius. Quisquis autem, inquit Apostolus, Spiritum Christi non habet, hic non est eius.«

Post p̄aelectionem »De membris ecclesiae« sequentes animadversiones vel obiectiones propositae sunt.

I. Dictum est sufficere ad hoc, ut quis membrum ecclesiae sit, ut aliquo vinculo externo ecclesiae uniatur et aliqualiter vitam ecclesiae internam participet. Atqui haeretici est schismatici aliquo modo cum ecclesia externe colligantur, nempe professione alicuius fidei, aliquibus sacramentis et participant aliqualem influxum vitalem. Quare sicut membrum corporis physici manet membrum, licet aliqui nervi, quibus cum corpore colligatur praecisi sunt, ita logice de membro organismi socialis dicendum est.

Eo magis, quod ecclesia sibi vindicet potestatem in schismaticos et haereticos (cf. dictum Pii IX ad Gulielmum Imper.). Atqui in membrum totaliter praecisum a corpore principium formale nullum amplius exercet influxum neque ullam vitutem.

**R e s p o n s u m.** — Diximus ad rationem membra necessarium esse, ut quis aliquo saltem vinculo externo corpori ecclesiae iungatur et aliqualiter saltem vitam internam corporis mystici participet. Quaenam vincula autem necessaria sint et sufficientia et quanam ratione quis vitam ecclesiae supernaturalem participare debeat, ut membrum ecclesiae vocari possit, hoc non a priori statui potest, sed ex positivis fontibus erui debet. Ex hisce fontibus autem, id est ex unanimi consensu ss. Patrum et ex constanti praxi ecclesiae manifesto constat, haereticos et schismaticos saltem publicos formales excludi ab ecclesia. Neque obstat, quod haeretici et schismatici adhuc potestati ecclesiae subiciuntur. Ecclesia enim, cuius potestati lato quodam sensu ipsi infideles subduntur, quatenus scilicet obligantur iure divino ad oboedientiam authentico magisterio ecclesiae, ius suum, quod per baptismum in haereticos et schismaticos acquirit, per eorum defectum in fide vel in subiectione non amittit.

II. Dictum est aliquem tamdiu remanere membrum ecclesiae, quamdiu contrarium non probetur. Hoc non satis clarum est et declaratur oportet. Nam ut aliquid sit membrum physici organismi debet realiter cum corpore coniungi et realiter influxum corporis participare. Nemo dicet partem aliquam remanere membrum, donec contrarium non probetur.

**R e s p o n s u m.** — Axioma illud forsitan clarius exprimi posset: aliquem, qui certo ut membrum ecclesiae adiunctus est, tamdiu membrum considerari debere, quamdiu contrarium certo et determinate non probetur. Agitur enim de dono Dei et de iure acquisito favorabili, igitur nemini donum hoc et ius denegari debet, nisi positive probetur eum donum et ius hoc amisisse.

III. Si schismatigi materiales sunt membra ecclesiae, tunc dicendum est adesse inter nos et orientales orthodoxos unitatem, licet non perfectam, tamen talem, quae sufficit ad constituendum unum corpus Christi, similem saltem ei unitati, ad quam plures nationes uniuntur contra communem inimicum.

**R e s p o n s u m.** — Animadversio procedit ex supposito schismaticos materiales posse adhuc vocari membra ecclesiae et orientales

orthodoxos in sua totalitate esse schismaticos materiales. Ultimam hanc quaestionem non tetigimus, opinioni autem, quae tenet materiales schismaticos membra ecclesiae esse, sententiam contrariam ut probabilem opposuimus. Ceterum concedimus, quod veritate dictae sententiae supposita et admisso orthodoxos orientales in sua totalitate esse schismaticos materiales, adesset inter nos et orthodoxos non solum unitas aliqualis, sed ea, quae sufficeret ad constituendum unum corpus Christi. Unitatem autem illam, qua plures nationes contra communem inimicum coadunantur, non sufficere ad constitendum unum corpus Christi seu unam ecclesiam, ex fontibus positivis abunde edocemur.

IV. Quaeritur, quinam nexus sit inter valide baptizatos sed formali haeresi ab ecclesia deficientes et ecclesiam; possintne, cum non sint membra, nominari saltem socii vel subditi. Si nullum nexum cum ecclesia haberent, non esset possibilis ecclesiastica iurisdictio in eos.

Responsum. — Cum ex supradictis haeretici etiam formales subiecti maneant potestati ecclesiae, nil impedit, ut »subditi« vocari possint, immo et debeant. Qua ratione quis possit remanere et esse subditus ecclesiae, licet non sit eius membrum, supra declaratum est. Nomen autem »socii«, utpote inconsuetum, ipsis non est dandum.

## DE CORPORE CHRISTI MYSTICO.

*P. Michael d'Herbigny S. J. — Roma.*

Paulus, etiam post annos apostolatus iam multos, exoptabat discere et iterum discere »supereminente scientiae caritatem Christi«. Aliunde omni ratione patet, quantopere scientia sublimior de Christo exoptanda sit et procuranda.

Conamur ergo iam ex consueto ut scientia illa simul cum caritate Christi fiat in nobis semper minus imperfecta, et propterea mysteriis vitae Christi sive quamdiu in terris erat sive nunc in eius gloria ex Evangelii et toto N. T. studemus. Et hoc quidem recte. At numquid satis curamus de alia via praecipua ad cognoscendum Christum? Non solum Christum prout antiquis temporibus vixit, vel prout nunc in coelis regnat, sed ut ulterius vivit in ecclesia, et quidem realiter. Contemplatione et studio viventis illius Entis proficiamus quod ab eodem Paulo dicitur modo *corpus Christi* et modo *sponsa Christi!* Veritas enim et integritas Christi nequeunt profundius absque ecclesia cognosci, non dico solum absque doctrina et participatione ecclesiae, sed etiam pro ipsis catholicis non satis novimus Christum quamdiu manemus absque studio profundiore et contemplatione amore plena de ipsa ecclesia. De his breviter, absque ulla polemica, dicam. Res

ipsae vobis familiares sunt, synthesis tamen earum forte juvabit: in hoc solum tendimus ut, Deo juvante, mentes nostrae et corda ad caelestia desideria erigantur, et e sublimiore illa visione juventur ad quoslibet fratres etiam remotiores amandos, attrahendos, amplectendos.

### I. Regnum Dei et theocratia.

Ipse Christus — venia sit verbo — prior studii de ecclesia dedit exemplum: Ecclesiam enim ut Verbum aeternum e sinu Patris praeparabat et amabat: eamque nunc etiam contemplatur et diligit: »Christus dilexit ecclesiam, ait Paulus, et tradidit semetipsum pro ea.« Tradidit semetipsum pro ea, i. e. et Incarnatio et Redemptio ad hoc tendunt ut homines ad ecclesiam vocentur et consocientur. Verbum caro factum est ut homines ad ecclesiam suam pertinenter. Tradidit semetipsum pro ea. Non quomodolibet aut singillatim salute et gloria caelesti praemiandi sunt, sed socialiter coadunantur ad cooperandum cum Christo, seu ejus membra fiunt, non solum collecta, sed hierarchice coordinata — »per omnem juncturam subministracionis«.

Dilectio Christi pro ecclesia verus est et proprii nominis amor, immo causa exemplaris summumque culmen omnis amoris, cum ex ipsa Pauli declaratione omnes hominum nuptiae proprium valorem seu sensum mysticum coram Deo habeant in figuranda illa Christi et ecclesiae dilectione. »Sacramentum magnum, ait, in Christo dico et in ecclesia.« Amor ergo virilis apud eum ad unionem tendit et ad similitudinem: paritas enim diligentium requiritur. At quomodo inter Christum et vocatam humanitatem instituetur? En amor ipsius solutionem invenit. Non solum amat — caritate nimis stupenda —, sed omnipotentia sua ipse caritatis suae ardorem effectibus illustrat et manifestat.

Ne longinquior a nobis distaret, prius »exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo« (Phil. II, 7): at illa ejus humiliatio, etsi ei permiserit ut mansuetus ad nos accederet imperterritos, amori tamen non sufficit, quoniam non solum exinanire semetipsum vult, sed et divites nos facere intendit propriis suis divitiis. Et ideo factus caro, Logos Dei dedit nobis »potestatem filios Dei fieri«. En ergo paritas mirabiliter ab ipso conditur, mirabilior in illa reformatione hominum quam in prima creatione. Ipse natura Deus fit homo ut nos natura homines deificemur.

His verbis omnia mysteria Christologiae et Ecclesiologiae dixi brevi compendio: Incarnationem secundae personae SS. Trinitatis et vocationem nostram deificativam in ecclesia. At haec in dilecta vestra Yugoslavia cum majore jucunditate in

memoriam revocantur. Inter vos enim, auditores dilectissimi, juxta magnum illum episcopum qui ferventem suae gentis Slavorum amorem una cum fideli obsequio ecclesiasticae oecumenicitatis sub infallibili cathedrae Romanae magisterio unitae conjunxit, inter vos, dico, juxta magnum Strossmayer, scriptor ille Russus praeclarissimus Vladimir Solovjev pulcherrimum suum opus scripsit de vera et legiima theocratia: Исторія и будущность теократіи. Vox illa theocratia saepe a multis ita accipitur, ut inde deterreantur, at prorsus praeter rationem. Theocratia enim minime dominationem cleri significat, sed Dei dominium ut fundamentum humanae moralitatis extollit, sive in ordine privato, sive in ordine civili. Attente enim ut philologi et philosophi norunt, distinguendae sunt voces quae in cratia terminantur et eae quae in archia. Voces in cratia sicut autocracy, aristocracy, democracy per se designant fontem iurum civilium vel politorum vel apud dominatores absolutos vel apud meliores (aristocracy) vel apud totum populum (democracy) quaerendum esse. Non autem formam regiminis insinuant, quae vocibus in archia designatur: monarchia, oligarchia, panarchia seu anarchia — quod idem practice est. Potest ergo monarchia in regimine optime consociari cum democracy quae in omnibus civibus subditos iurum reveretur. Et ex adverso, in Russia sovietica, apparentia panarchiae terribili modo cum autocracy paucorum consociatur. Formas diversas in ordine politico et in applicatione iurum conscientia humana et ergo lex divina sancit, ac proinde ecclesia eas quoque benedicit et approbat, dummodo remotior origo ipsius iuris non ex beneplacito humano pendeat, sed ab ipsa suprema Dei auctoritate. Theocratiam ergo veram dicimus — eam ordinis moralis et iuridici conceptionem quae ad Deum omne fundamentum obligationum et officiorum sicut et iurum refert. Et ex ea sola vera libertas humana oriri potest.

Porro theocratia illa — libera, ut ait ipse Solovjev, — identificatur post Christum cum Regno Dei quod in Evangelio ab ipso Jesu praedicatur, non politicum, sed visibiliter jam in terris manifestandum Dei dominium, non ex carne et sanguine sed libera voluntate a singulis suscipiendum: »Qui non receperit Regnum Dei sicut parvulus non intrabit in Regnum.« Evangelia enim legenti attente ecclesia cito videbitur praedicata et intenta sub illo nomine »Regnum Dei«, consummandum sane in eschatologia caelesti, at jam inchoatum in terris cum susceptione praedicationis Christi. Ideoque, »quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri«. Omnes qui sponte Regno seu dominio Dei subordinantur, i. e. theocratiae, fiunt ipso facto Filii — sed Filii Regni, Filii Dei. Ideo theocratia illa libera, sicut Solovjev in aliis quoque libris post multos Patres dicit, participes nos facit illius sublimis theandromi.

qui in Jesu Christo inchoatus est. Vere »nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum« (I Cor. II, 9).

Vocati — ἐκκαλούμενοι — ad ecclesiam, accedimus humiles et subditi ad Omnipotentis Dei theocratiam. At ecce, quoniam »jugum ejus suave est et onus leve«, jam nos non dicit servos sed amicos, immo, quia regenerati sumus in ecclesia, i. e. nati denuo prout Nicodemus dicebat, Filii Dei efficimur. »Deum, ait Cyprianus, nemo potest habere patrem, qui ecclesiam matrem non habet.« At omnis qui fit ecclesiae filius, ipso facto Dei filius est, et ergo, quoniam patris ad filios datur naturae communicatio, fit divinae consors naturae. Manet tamen homo, et ideo theandristus proprii nominis in eo incipit. Qui prius merus homo humilem sub theocratia subordinationem libere eligebat, nunc vero et proprio sensu supra naturam humanam vel creatam quamlibet ad divina trahitur.

## II. Theandristus.

Theocratia ergo Novi Testamenti hominem minime opprimit, sed ad sublimem theandristi dignitatem extollit. Sic praecclare Solovjev, collecta e Scriptura et Patribus aliisque scriptoribus ecclesiasticis doctrina authentica cum citationibus plurimis.

Differt tamen essentialiter theandristus in Christo et in nobis, etsi propter veram profundamque analogiam eadem vox de Ipso et de nobis proferri potest. Aeternus ipse Logos, natura Deus, assumit humanitatem concretam seu humanam naturam, integrum quidem at non propria personalitate distinctam a Verbo, sed ipsa personalitate Verbi subsistentem. Nos ex adverso, natura meri homines, ad participationem divinae naturae attrahimur, non amissa concreta nostra seu personali humana natura, sed conjuncta cum aeterna Dei natura i. e. Patris et Filii et Spiritus Sancti. Non ergo individualitas nostra seu personalitas recedit ut in Deum inconscii aliquando immergamur, secundum somnia pantheistarum, nec tamen vinculo mere individuali Deo conjungimur. At sicut Logos una Incarnatione totam humanitatem redemit, sic et ii qui tota humanitate fructum illius redemptionis libere suscipiunt uno vinculo sociali et vitali cum divina natura colligantur, i. e. ecclesiae unitate quae, cum sit ipsius Christi corpus unicum et sponsa una — absque repudio, concipit et parturit ex vitali Christi per suum Spiritum operatione liberos spiritualiter regeneratos et socialiter deiformes.

In Christo ergo et in nobis, manet id quod prius erat: natura et persona, pro Ipso divina, pro nobis humana, at consciatur indebita natura (non autem persona nova), humana pro Ipso, divina pro nobis. Manet Deus, fit homo; manemus homines,

efficimur dieformes — singuli quidem, at in ordine sociali naturae nostrae. Quoniam ergo socialiter deiformes efficimur, non solum individualismus protestantium intolerabilis est, sed aequalis quoque paritas omnium quasi cellularum in ecclesia. In societate enim, sicut Paulus expresse ait, sunt divisiones ministracionum et operationum. Non omnes eumdem actum habent, sed Spiritus Dei partitur singulis prout vult. Indebita enim illa dona gratuito distribuuntur. Societas ecclesiastica intenditur a Christo et describitur a Paulo, non ut collectio numerica multorum parium, sed ut sponsa »circumdata varietate«, vel ut corpus Christi »secundum diversos gradus perfectionum«.<sup>1</sup>

Illius corporis membra sunt et diversa et consociata: »Alter alterius membra sumus«, ait, et singula singulis indigent. Nec potest oculus dicere pedi: opera tua non indigo. Cooperantur enim omnia membra ad eumdem finem.

At cujusnam corporis sunt membra? Numquid, ad normam statuum et societatum civilium, corporatio late dicta solummodo haberetur, ex aliqua unione morali et conspiratione humana ad eumdem finem?

Illa sane elementa socialia in ecclesia prorsus inveniuntur. At praeminet aliud multo superius: vitae supernaturalis realitas diversa illa membra consociat. Vita communis, vita una, vita divina in omnibus valide baptizatis vel est vel aliquando fuit, et vestigia suae praeteritae et nunc debitae praesentiae reliquit. Deus aut vivit aut vixit in illis animabus, potentias earum oboedientiales aliquando actuavit, elevavit et in multis constanter actuat et elevat.

Vere enim in plerisque perseverat vita Ejus, vita Dei, vita Trinitatis. Pater, inhabitans in animabus, generat in eis Filium, et mutua utriusque dilectione procedit Spiritus Sanctus, hospes et Ipse animarum illarum.

Sic adimpletur promissio Christi: »Si quis diligit me, ait, si quis mandata mea servat, ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.« Ac ibidem rogit Patrem »ut dilectio qua dilexisti me (i. e. ipse Spiritus Sanctus) in ipsis sit, et ego in eis«.

Vere inhabitat Spiritus Sanctus, missus a Christo, vere in eis vivit, vere ipsas vivificat, et cum Ipso tota Trinitas. Ac propterea in symbolo profitemur fidem nostram in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem: τὸ ζωοποιόν, τὸ ζωοποιόν. — At inde nobis sequitur intelligentia melior de corpore mystico Christi, et praesertim de ejus necessaria unitate.

Nam illa realitas vitae divinae in animabus multis, numquid divinitatem et Trinitatem dividet? Numquid vitam divinam partetur vel multiplicabit?... Absit! Unitas vitae divinae in diver-

<sup>1</sup> S. Thomas, I, 9, 76, a. 1 et 4; de Anima, q. unica, a. 9.

sitate multiplici animarum non ipsa in eis patitur divisionem, sed multo magis eas conjungit et unificat, eodem modo quo forma in ordine naturali elementa materialia prius diversa consociat, et in homine anima humana corporis unitatem e tot elementis diversis operatur et conservat.

Undenam enim incipit et conservatur in corpore nostro unitas vitae et activitatis non obstante diversitate membrorum et operationum? Prorsus ex anima.

A pari, sed multo sublimius in ecclesia, anima unitatem corporis, membrorum operationumque in singulis diversarum, operatur. Ideo, teste Scriptura, Spiritus est qui vivificat, Spiritus idem ille qui inhabitat, qui orat et clamat in nobis »gemitibus inenarrabilibus«, et quem ideo sancti Patres explicite dicunt »animam ecclesiae«.

Sic, ne multos afferam, S. Augustinus: »Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi, quod est ecclesia; hoc agit Spiritus Sanctus in tota ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis« (S. Aug. Sermo 267, 4; M. L. 38. 1231). Eadem doctrina frequenter et pulcherrime a Patribus graecis, praesertim a S. Cyrillo, illustratur. Ad eamdem doctrinam, ipsis Augustini verbis, sollemniter appellabat Leo XIII in Encyclica dogmatica anni 1897 de Spiritu Sancto; et recentissime Summus Pontifex Pius Papa XI, die Pentecostis, postquam Nicaenae Synodi memoriam revocaverat et pro desiderata omnium fidelium Christi unitate oraverat, in veritatem quoque illam de Spiritu Sancto, ut est anima ecclesiae, instabat. Multae autem consequentiae ex illa veritate oriuntur.

### III. De unitate vitali in corpore ecclesiae.

Ipse enim ecclesiae finis illustratur, qui est ut animae sanctificantur seu deificantur, et inde melius dignoscitur relatio mediorum ad finem: Nam Spiritus Sanctus ut anima, seu vere praesens conjunctumque principium operandi, dirigit et diversitatem operationum et externam corporis configurationem, simul ac Sacramentis efficacitatem vitalem confert.

Porro vita Spiritus Sancti, ut norunt, incipit in animabus regeneratione seu baptismo, confortatur ad actus proprie supernaturales per confirmationem, sanatur post vulnera vel resuscitatur paenitentia, nutritur communione, cuius realitas quantumvis sublimis medium proprie est ut communicato corpore Christi et tota ejus persona, vita propria divina conservetur et crescat sive in singulis animabus sive in tota ecclesia.

Illius enim ecclesiae unitas in Eucharistia mystice figuratur prout id in orationibus liturgicis commemoratur, jam ex primis temporibus, in Didache duodecim Apostolorum sicut in orationibus sacri missalis. Alia item Sacraenta ad eandem vitam Spiritus Sancti tendunt: Extrema unctione eam in

singulis ante corporis separationem pro aeternitate restaurat aut roborat.

Ut autem vita illa multiplicetur, secunditas sanctificatur sive praeparatoria matrimonio quo generentur parianturque a parentibus piis futuri Dei filii; sive proprie spiritu-alis Sacramento ordinis. Hujusce Sacramenti ordinis praestantia summa est pro toto corpore mystico. Ex illo enim Sacramento subordinantur compagines corporis per »juncturas subministracionis«. Ideoque ordinum hierarchia eadem est ad corpus mysticum seu ecclesiam gubernandam quam ad corpus eucharisticum, ut praecclare post Patres Papa Innocentius III. et S. Thomas exposuerunt et ex recentibus VI. Solovjev pulchre intellexit. Corpus enim eucharisticum Christi in sua realitate symbolum quoque est et medium pro theandrica illa realitate sociali et non peritura quae est ecclesia. Ordines ergo inferiores, in Oriente prout in Occidente, sicut praeparatorii sunt ad Eucharistiam conficiendam, sic et ad regendum aliquando populum Dei. Sacerdos autem qui solus Eucharistiam conficit, idem populum pastor proximus pascit et nutrit. Alios tamen Eucharistiae consecratores instituere nequit, neque ergo alios pastores populo fidei praeponere valet: utrumque episcopis reservatur, — prout lyrice a S. Ignatio Antiocheno anno circiter 106 declarabatur.

Potestas illa ordinis episcopis omnibus communis est, at differt pro singulis jurisdictione eorum actualis. Grex non totus singulis committitur, nec eadem pars gregis omnibus: sed unicuique pars determinata gregis jurisdictione propria assignatur: prout junctura v. g. manus vel brachii non omnia membra movet sed partem solummodo. At corpus ipsum vel integer grex Domini quomodo in sua unitate manifestabitur? Numquid tot erunt greges diversi vel corpora distincta, quot sunt episcopi? — Minime. Nam non sufficit Christo, ex ipsis Ejus declarationibus, ut unitas interne solum consociet membra corporis et oves gregis: publice vult unitatem manifestari. Pro ea instanter ante passionem in coena orat: ut omnes unum sint, et quidem unitate tam perfecta ut ipsius Trinitatis unitas inde significetur, et unitate simul tam visibili ut ex ea omnes discant et legitimatem discipulorum et ipsam veritatem missionis Christi: »ut sciat mundus quia tu me misisti«. Porro illam unitatem externam et visibilem Christus non solum commendavit nec solum pro ea Patrem rogavit — certo exauditus; at formaliter eam instituit. Qui enim unum elegerat Petrum supra quem ecclesiam aedificaret suam unamque, qui et Petro munus commiserat ut fratres confirmaret, idem etiam ei absque restrictione oves commisit quae quolibet modo possent dici oves Christi. Non dixit: Pasce ex ovibus meis, at simpliciter: »Pasce oves meas, pasce agnos meos«. Quicumque ergo pertinet ad agnos ovesque Christi, Petro commissus est. Nemo poterit jure

dicere: Ego sum Christi ovis, at Petro non fui commissa. »Mea es, ipse ait, ergo te Petrus pascat«, non solus utique, sed nunquam non ad missionem illam delegatus. Anterior Christus munus et nomen pastoris sibi soli reservaverat, nunc post resurrectionem uni committit, soli Petro. Petrus inde fit pastor universalis, non ut alii excludantur: cum ipso ceteri partem habent, sed numquam auxilio ejus destituuntur. Ceteri una cum ipso collegialiter totum gregem pascunt; singuli partem pascunt, at non pro libitu et arbitrio, nec in autonomia vel autocephalia absoluta: capita enim multiplicando unitatem corporis divideres. Etenim, quot capita, tot corpora; et ergo, si multae essent autocephaliae, multae quoque essent ecclesiae diversae, multa corpora Christi, multae sponsae quasi in adulterio: ipsa fraternitas autocephalarum, etiamsi diu possibilis esset absque mutuis excommunicationibus, divideret unitatem cum corporis tum amoris Christi, qui multas sorores simul diligeret et fecundaret. Absit! Una est ecclesia, una sponsa, unum corpus Christi, unum ergo caput visible. — Inde tamen minime derogatur dignitati sublimi ipsius Christi.

#### IV. Omnia et in omnibus Christus.

Titulo enim omnino speciali Christus manet supremum caput sicut et pastor aeternus invisibiliter, at semper praesens et agens cum suis, *unicus* qui absque mutatione per mutabilia instrumenta sua, per mutabiles vicarios suos, per successivas — ut ita dicam — figuratas perpetuo ecclesiae suae praest corpusque ejus regit.

Illa pastoris perpetui dignitas manet Christo propria, personalis, incommunicabilis, talis ergo qualis nullus ex hominibus vicarius eam accipere potest. Itaque si paulo attentius cogitaretur, ii immediate securitatem haberent qui timent ne successione Petri aliquid ab auctoritate personali Christi detrahatur. Minime sane, at potius sublimis conditio pastoralis Christi ex ipsa missione Romani Pontificis, alta quidem at infinite inferiore, melius elucet. Pariter ex eo quod datur episcopus episcoporum, ipsa dignitas episcopalnis praecellens honoratur, sicut et sacerdotis auctoritas plenitudine sacerdotii apud episcopos non minoratur, sed plena luce illustratur.

Nam omnis missio quae ab ipso Christo pro salute animarum ministris communicatur, praeter salutiferos effectus, ad id simul juvat ut omnes in superabundantia donorum quae Christus confert, incomparabilem eius transcendentiam magis perspiciant. Quodlibet enim opus sanctificationis et gratiae ab ipso dimanat, sive in membris sive in capite. Vi ipsius theandromi, de quo diximus, opera humana Deo placent seu meritum acquirunt, non ut nostra sunt, sed ut Christo conjuncta: sine Ipso enim nihil in ordine divino vitae aeternae possumus, at Ipse elargitur sin-

gulis prout vult. Sub regente et judicante Deo, opera humana valorem nequeunt habere ullum, nisi pro mensura agnitae in eis operationis Christi. Dum nos cooperamur, Christus agit, causa principalis, directiva, vitalis: »Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.« Homo sub ipso est causa subordinata, instrumentalis, secunda, cuius perfectio est ut magis ac magis ad manum artificis aptetur et docibilis sub ejus Spiritu dirigatur. Non sufficit ergo ut neophyti baptizentur, aut anterius dissidentes nunc adhaereant ecclesiae, at Paulus orabat et operabatur ut novos liberos Dei non solum gigneret aut parturiret, sed maxime at educaret et instrueret: »donec formetur Christus in vobis«, dicebat (Gal. 4, 19). Singulis christianis crescendum est usque ad aetatem plenitudinis Christi. Nam non in terris solum membra sumus Christi, sed in caelo, ideo electi coronabuntur, quia tunc Christus erit in eis revera omnia in omnibus. Quapropter in vanum protestantes pertimescant, in vanum nos accusant et cultum increpant quem traditio christiana in Occidente et in Oriente ab origine martyribus ceterisque sanctis exhibuit: non ideo evacuat Christus, ut objiciebatur a Luthero, quasi praeter Christum vel etiam juxta ipsum alii alium cultum absolutum reciperent. In sanctis enim colitur ipse Christus, ipsa ejus gloria et Victoria in omni anima quam praesentia ejus et operatio sanctificavit et nunc etiam sanctificat. Sanctorum et ipsius B. Mariae Virginis cultus illustrat doctrinam de corpore mystico: nam in membris sanctificatis ipse colitur, sicut ipse quoque impetratur ubi membra persecutionem patiuntur: »Saule, Saule, quid me persequeris?« aiebat Christus. Idem Christus a pari adversarios sanctorum interpellare potest: »Cur me offendis? Nescis ergo quod quocumque uni ex fratribus meis minimis feceris, mihi fecisti«, eo quidem magis, quo plenior Christi splendor in eis fulget; porro plene lux Dei fulget in sanctis qui jam cum Ipso regnant.

Destruunt enim integritatem Incarnationis ii qui Christum vere viventem in suis membris vel non agnoscent, vel ad modum neo-Nestorianismi dividunt. Porro, sicut cultus sanctorum in gloria caeli Christum honorat praesentem et viventem, et ergo Christum solum adorat, sic plena et legitima consideratio de ministris Christi, in omni actu sanctificato Christifideliū, Christum agnoscit qui diversa pro diversate membrorum operatur. Paulus distinguit diversitatem operationum quas Spiritus unus sive in pede sive in oculo operatur. Varia sunt membra, at unum est corpus, Christus unus; ejus autem praestantia unificativa magis agnoscitur, ubi per iuncturas subministracionis singulas partes cuncta membra ad bonum commune movet. Quocumque ergo homo ministerialiter agit, minime detrahit ministerio Christi, ejusque actioni, at multo magis ei servit eamque amplificat.

Instrumentum enim, seu humanum ministerium ad hoc assumitur a Christo ut ad multos communicentur ea quae Christus merebatur. »Adimpleo, aiebat Paulus, ea quae desunt passionum Christi pro corpore ejus quod est ecclesia.«

Ultimatim ergo, sicut fideles a sacerdotibus et sacerdotes ab episcopis uniuntur qui vices Christi gerunt secundum pulcherrimam theologiam a S. Ignatio Antiocheno jam plene evolutam, sic episcopi a successore Petri vitaliter consociantur. In Petro ejusque successoribus splendet exaudita oratio Christi: *ut omnes unum sint.* Unitate illa spontanea amoris Dei et fratrum coram universo orbe splendet unitas corporis mystici. In eo omnes agnoscere possunt quod vere sit unum ovile et unus pastor; vere in vicario visibili Christus pascit totum unicumque gregem. Illa nostra theologia non recens est, non nova, at saepius a SS. Patribus proclamatur: de successore Petri, ut de capite ecclesiae loquuntur. Sollemmiter v. g. concilium Chalcedonense gratias agit S. Leoni Magno, quoniam licet remotus »ut caput, aiunt, membris praeras«. Numquid ergo Christus a Patribus illis non reputabatur ecclesiae caput? Prorsus eum caput noverant et colebant, sicut et nos hodie catholici. — Numquid ergo unius corporis duo capita fingebantur, quasi in monstro? Minime. At unius corporis quod totum Christus est et in quo ipse per ministros operationes omnes exercet, ministerium visibile capitum committitur, sicut caetera omnia, visibili ministro Christi. Christus in eo divina omnia operatur, etiamsi minister per accidens propria sanctitate careat.

Christus ergo in eo et per eum invisibilem suam legationem retinet et exercet immutatus in aeternum. Minister autem in successione hominum, ad tempus semper breve finientis vitae humanae, instituitur. Auctoritas Petri et ministerium manet, at Simon et ceteri post eum successive moriuntur. Auditis itaque Leone vel Caelestino vel alio, Patres exclamabant Petrum locutum esse: immo concilium oecumenicum ad Papam scribebat: »Agnitionem Dominicam... ex pracepto Legislatoris usque ad nos ipse servasti vocis B. Petri omnibus constitutus interpres, et ejus fidei beatificationem super omnes adducens.« En pars universalis Petri et successorum, secundum Patres concilii et quidem, ut ipsi dicunt, »ex pracepto Legislatoris i. e. Christi. Inde, ut ipsi aiunt, quia Papa »sicut membris caput praerat«, episcopi in unitate activa perseverabant »non singillatim faciente in occulto unoquoque doctrinam, sed uno spiritu una conspiratione atque concordia confessionem fidei declarantes... deliciis spiritualibus epulantes quas per tuas litteras Christus praeparaverat« (M. L. 54. 951). Unitas ergo capitum visibilis minime obstat muneri supremo et invisibili Christi. Ipsi Patres Chalcedonenses unitatem, qua gaudent in confessione fidei, ad Leonem referunt:

sed per ejus litteras Christus docet. Haec erat, haec est eritque semper sacra doctrina catholica. Ex institutione Christi legislatoris uniuntur episcopi a successore Petri, at tota ejus efficacia et auctoritas e Christo dimanat qui solus in aeternum manet et vivit.

Conclusio: Post adumbratam sic breviter realitatem et vitam corporis mystici, facile constat quantum nobis singulisque membris illius corporis necesse sit ut saluti et incremento totius corporis sub dirigente Christo cooperemur: ordinatur enim corpus illud ut omnes animas ex universo orbe lucifaciatur. At simul incolumitas corporis ne maculetur membris, ne Christi membra — ut ait Paulus — in membra meretricis corrumpantur nec morum nec fidei corruptione, Christus vivit uno corpore mystico, cuius multi vitam participant, etiam nescii. Ut autem vitae Illius divinae incrementum laetificet corda, praestat ut vera illa cognitio de corpore mystico diffundatur. Ideoque explicite in schemate concilii Vaticani dicebatur: »Haec est, quae, ut fidelium mentibus objiciatur atque defixa haereat, satis nunquam commendari potest, praecellens ecclesiae species, cuius caput est Christus.«

Nos ergo doctrina et vita simul veritatem exhibeamus de mystico corpore Christi, et inde fieri ut plurimi ad illud accedant ex hisipsis quos magis distantes putabamus, et una nobiscum in uno corpore mystico unum Christus glorificant.

## DE UNITATE ECCLESIAE.

*Dr. Franciscus Grivec — Ljubljana.*

Introductio. Notio unitatis et schismatis ecclesiae. Primatus R. P.

Scissa unitate inter ecclesiam catholicam et Byzantinam, per consequentiam theoretica quoque discordia unitatis ecclesiae notionem dividebat. Theologi tum catholici cum orientales recentiores communiter fere fatentur, doctrinam de unitatis principio et centro visibili potissimum esse dissensionis punc-  
tum inter utramque ecclesiam.

Theologia catholica docet, ecclesiam Christi esse unam: 1. unitate fidei (unitas symbolica), 2. cultus (sacramentorum), 3. regiminis (edinstvo ustrojstva, upravno edinstvo). Theologi orientales recentiores eandem triplicem ecclesiae unitatem docent. Unitatem fidei et cultus explicantes cum theologia catholica consentiunt; notionem unitatis regiminis vero explicantes a catholicis dissentiant, catholicam doctrinam de unitatis principio centroque visibili negando vel obscurando. Similiter in capite de constitutione ecclesiae theologi orientales consentiunt cum catholicis in doctrina de divina ecclesiae in-

stitutione (Christum immediate instituisse [fundasse] ecclesiam) atque de hierarchica constitutione sub regimine apostolorum et eorum successorum (episcoporum); monarchicam vero ecclesiae constitutionem, primatum Petri eiusque successorum unanimiter negant.

Conspectum doctrinae recentioris orientalis de constitutione et unitate ecclesiae iam in IV. Conventu Velehradensi tradidi.<sup>1</sup> Hodie ex tam vasta materia praeprimis quaestionem de primatu successorum s. Petri seligam. Haec est enim quaestio principalis inter utramque ecclesiam disputata.

Iuxta doctrinam catholicam schisma ortur separatione (defectione) a legitima ecclesiae potestate. Ex parte vero ecclesiae orientalis separatae schisma sine haeresi nec fieri nec definiri potest. Ecclesia Romana catholicica ab ecclesia Byzantina schismate deficere non potuit, quia patriarcha Byzantinus numquam habuit nec sibi vindicavit dominationem in ecclesiam Romanam. Proinde Photius eiusque sectatores demonstrare tentabant, Latinos haereticos esse, a christianis Byzantinis vitandos monentibus apostolis. Dogmaticis criminationibus saec. IX. et XI. schisma superstructum est. Usque ad saeculum XV. inter utramque ecclesiam de Filioque aliisque quaestionibus dogmaticis multum, de primatu vero rarissime disputabatur. Theologi recentiores quoque Graeci, schisma dogmatice considerantes, ecclesiam catholicam haeresis potius quam schismatis accusant;<sup>2</sup> ita praesertim litterae encycliae patriarcharum orientalium a. 1848. Alii vero theologi et historici orientales plurimi, schisma historice considerantes et ad veram rerum conditionem attendentes, cum theologis historicisque catholicis fatentur, schisma ortum esse practica negatione primatus Romani episcopi,<sup>3</sup> ceteras vero quaestiones dogmaticas praetextum tantum praebuisse. Post concilium Vaticanum, primatu Romano sollempniter definito, theologi orientales uberius atque systematice de primatu disputant, eumque communiter fere potissimum separationis causam gravissimumque offendit lapidem tenent.

Post diuturnam scissionem, antiquis traditionibus orientalibus de ecclesiae constitutione practice atque theoretice interruptis, historici et theologi orientales hodie communiter docent, Romanos episcopos usque ad saec. IX. primatum hono-

<sup>1</sup> Acta IV. Conventus Velehradensis (Olomucii 1925) 50—62. — Überius de iisdem quaestionibus tractavi in libris: *Doctrina Byzantina de primatu et unitate ecclesiae* (Ljubljana 1921; Kromerij 1922) et *Cerkov* (Ljubljana 1924).

<sup>2</sup> Acta IV. Conventus Velehradensis 60. — *Doctrina Byzantina de primatu* 62.

<sup>3</sup> Ita nonnulli Graeci docuerunt iam ante saec. XV. e. gr. Nicetas Nicomediensis (saec. XII.) et Nilus Cabasilas (saec. XIV.), primatum honoris tantum admittentes, primatum iurisdictionis vero negantes. Cf. A. Palmieri, *Theologia dogm. orthodoxa* II 83.

ris, in civili Romae praeeminentia fundatum, exercuisse; itaque primatum honoris iure historico (ecclesiastico, canonico) tantum episcopo Romano concedunt, negantes primatum iurisdictionis iure divino. Hoc sensu N. Glubokovskij recentissime declaravit, se concedere primatum Romanum historicum, minime vero primatum Romanum dogmaticum.<sup>4</sup> Plurimi historici et theologi orientales hodie docent, dominandi studium Romanorum episcoporum, primatum iurisdictionis appetentium, potissimum schismatis causam fuisse.<sup>5</sup> Inde N. Glubokovskij<sup>6</sup> concludit, redditum ad Romanum primatum historicum dissensiones inter utramque ecclesiam amovere pacemque conciliare posse.

Similiter philosophus protoiereus Sergij N. Bulgakov, olim Solovjevi discipulus, in epistola ad IV. Conventum Velehradensem (1924) inter alia docet: »Occidens post separationem ad systema proprii ecclesiopapismi (al. ecclesionalismi) inclinare coepit, qui in eo consistit, quod momentum centralis potestatis (centralizovannaja organizacija vlasti) in vita ecclesiae nimis exaggeratur. Inde ortus est absolutismus ecclesiasticus, absolutismus spiritualis...«<sup>7</sup> Bulgakov dicit, huic epistolae assensum praebuisse A. Kartasev, N. Berdjaev, N. O. Losskij e. a. Attamen aliunde constat theologos orientales recentiores nec inter se plane convenire nec singulos sibi firmiter constare.<sup>8</sup> Revera N. O. Losskij eodem fere tempore multo placidius scripsit de primatu, docens, doctrinam de primatu Romano mitigandam novisque commentariis limitandam quidem esse, ut ulteriore dogmatum evolutione dogmatica ecclesiarum reconciliatio praeparetur; episcopos vero orientales obligatos fore, ut primatum Romanum ita mitigatum humiliter agnoscant.<sup>9</sup> Berdjaev autem aperte docet,<sup>10</sup> illum ecclesiae conceptum, quem Homjakov elaboravit, quem Bulgakov in epistola citata secutus est, nec cum historica veritate Russiae »orthodoxae« concordare, nec catholicam doctrinam recte exhibere; equidem etiam Möhler, eminens theologus catholicus, ecclesiam caritatis libertatisque societatem adumbrabat.

Quaestio de centro visibili unitatis in ecclesia vere gravis est ac digna, ut ab utraque parte sobrie et tranquille tractetur, animo constanter disposito ad admittendam veritatem, a qua ecclesiarum reconciliatio animarumque multarum pax pendet.

<sup>4</sup> Hriščanski Život 1925, 129. — Christian East, sept. et dec. 1924 (Cf. Batiffol, Catholicisme et papauté. Paris, Lecoffre 1925).

<sup>5</sup> Doctrina Byzantina de primatu 36 et 62. — Cerkev 192.

<sup>6</sup> Ibidem.

<sup>7</sup> Acta IV. Conventus Vel. 134—135.

<sup>8</sup> O. c. 51.

<sup>9</sup> Problemy russkago religioznago soznanija (IMCA. Berlin 1924) 340.

<sup>10</sup> O. c. 136. — Berdjaev (ibidem) praeterea monet »ideam Russicam« non raro penitus discrepare a rerum veritate.

## I.

Methodus argumentationis catholicae pro primatu. Methodus difficultatum orientalium.

*Doctrina catholica primatum Romani episcopi e primatu s. Petri deducit, ad verba Christi in evangelii relata provocando. Ita iam s. Methodius, Slavorum apostolus, saec. IX. in scholio contra Byzantinam opinionem de civili primatus ratione docuit, Romanum primatum originem ducere e gratia divina etque e verbis Christi, quibus s. Petro prima sedes collata esset; ideo e divina electione atque apostolica potestate primatum in universam ecclesiam ortum esse.<sup>11</sup>*

Argumenta catholica duplici fulciuntur columna: ex una parte testimoniorum historicis (patrum, conciliorum, liturgiae orientalis), inde a saeculo I. et II. usque ad saeculum V. et ulterius ad saec. IX.; ex altera vero parte testimoniorum sacrae scripturae, quibus traditio de divina primatus institutione explicatur atque solidatur. Catena argumentorum historicorum cum testimoniorum s. scripturae iungitur; ita divina primatus origo demonstratur.

Historici orientales recentiores, praeprimis A. P. Lebedev et V. Bolotov cum plurimis argumentis historicis pro primatu consentiunt,<sup>12</sup> attamen negant vel potius negligunt nexus cum verbis Christi in N. T. relatis. Admittunt igitur primatum historicum, immo concedunt, quaedam testimonia (praesertim e saec. V.) primatum iurisdictionis testari, ast divinam institutionem primatus negantes vel negligentes, docent, primatum historica evolutione ortum, historicisque rationibus creuisse usque ad saec. V.; post hoc vero saeculum, historicisque conditionibus primatui Romano minus faventibus, episcopum Romanum paulatim amisisse primatum in Oriente. Primatum ergo iure historico ortum, historico quoque iure interiisse.

Theologi atque historici catholici contra hanc opinionem docent primatum iurisdictionis, historicis testimoniorum approbatum, solo iure historico explicari non posse. Primatus enim iam primis saeculis iuri divino tribuebatur atque e verbis Christi in N. T. relatis deducebatur.

Usque ad saeculum elapsum theologi orientales rarius contra primatum Petri pugnabant, minus advertentes ad relationem inter Petrum et Romanum episcopum, sicut etiam quidam protestantes (recentiore tempore e. g. Zahn) Petri primatum admittebant, »Romanas consequentias« vero negabant. Ipse Photius multique alii orientales Petri primatum admittebant vel saltem orientales traditiones de hoc primatu directe non negabant. Recentiore vero tempore primatus iurisdictionis Petri a theologis orientalibus communiter negatur. Recentissime N. Glubokov-

<sup>11</sup> Grivec, *Doctrina Byzantina de primatu* 94—97. — Cerkev 186.

<sup>12</sup> Cerkev 179—180 et 197.

skij de nostris argumentis e s. scriptura dicit, differentias interconfessionales textibus s. scripturae solvi non posse. Alii docent catholicam exgesim illorum textuum vel aperte falsam vel artificiosam esse; quaestionem tam gravem »obscuris« textibus solvi non posse.<sup>13</sup>

Objectionibus de obscuritate testimoniorum s. scripturae respondit Vladimir Solovjev: »Primatus in N. T. tam immediate et simplici modo exprimitur, ut conspicuum sit, quantum providentia divina cognitionem huius veritatis iuvasset. Unicus enim textus, quo institutio ecclesiae a Christo directe exprimitur, est illud: »Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.« Verba »aedificabo ecclesiam meam« ab omnibus theologis orientalibus citantur in capite de divina ecclesiae institutione, sed contextus (et nomen Petri) diligenter tacetur.«<sup>14</sup>

Glubokovskio responderi potest, verum esse, sola s. scriptura solvi non posse omnes quaestiones interconfessionales, sed simul rationem habendam esse traditionis et doctrinae ecclesiae antiquae. In quo et catholici et orientales convenient. Theologia catholica textus N. T. de primatu Petri revera uberrime illustrat testimoniis traditionis universae ecclesiae (historiae, liturgiae orientalis, patrum, conciliorum).

Inde a saec. XVI. theologia catholica doctrinam de hierarchica ecclesiae constitutione, de unitate atque primatu in ecclesia systematice tractat conspicueque proponit. Contra hanc catholicam doctrinam protestantes et orientales systematicae congregabant difficultates e s. scriptura, e patribus, e historia, quibus vel tota doctrina catholica in dubium vocaretur (protestantes), vel catholica unitatis visibilis et primatus notio obscuraretur.

Ultero concedimus in traditione ecclesiae orientalis (et occidentalis) praeter testimonia clarissima de primatu Petri eiusque successorum etiam obscuritates difficultatesque non paucas occurtere. Quaestio de primatu communem experta est sortem fidei veritatum, antequam clare ad credendum propositae et definitae sunt. Saeculis prioribus hierarchica ecclesiae auctoritas et primatus magis practice quam theoretice agnoscebatur. Theoretica primatus explicatio saepe obscura et incerta erat. Crebris practicis primatus negationibus theoretica primatus notio obscurabatur. Ita saec. XI. apud multos orientales obscurata est notio primatus et unitatis in ecclesia. Hodie theologia orientalis difficultates congerit e patribus atque ex historia, testimonia vero sacrae scripturae et traditionis de primatu vel tacet vel obscuritatibus et

<sup>13</sup> Hrišć. Život 1925, 66.

<sup>14</sup> La Russie et l'Eglise universelle<sup>a</sup> (Paris, Stock 1922) 87.

difficultatibus circumfundit. Ita ea oritur animorum dispositio (mentalité), quae doctrinam catholicam de primatu aegre percipiat.

Contra primatum Petri et episcopi Romani hodie adhuc repetuntur obiectiones, tempore Photii in libro *Πρόστις τοὺς λεγόντας ὡς ἡ Ρώμη πρῶτος ὅστις vulgatae:*

1. Ecclesia non est aedificata supra Petrum, sed supra fidem Petri, vel supra fidem et doctrinam apostolorum. — Difficultas trita, ad quam in quolibet compendio responsio datur.

2. Si Roma tenet primatum propter Romanum episcopatum s. Petri, potius Antiochiae tribuendus esset primatus, quia Petrus prius Antiochiae episcopus fuit. — R. Petrus in primatu unum tantum habere potest successorem eumque ibi, ubi ipse tamquam episcopus mortuus est. Traditio Antiochiae primatum non tribuebat.

3. Si primatus pendet a praeeminentia personarum, Hierosolima tenet primatum, ubi Jesus Christus pro nobis passus est.

4. Andreas, primus Constantinopolis episcopus, senior atque superior est Petro.<sup>15</sup> — Hanc opinionem, historiae contradictem, recentiores aliter exprimunt: Andream, primum vocatum ad apostolatum, Orientis Graeci esse apostolum et patronum; proinde Orientem Graeco-slavicum in rebus fidei magna auctoritate praeditum esse.

De his antiquioribus similibusque recentioribus obiectibus, iisque multis cum theologia protestantium communibus, hic non agam.<sup>16</sup> Ad profundiores magisque positivas orientalium recentiorum difficultates iam transeamus. Quae difficultates ad tria revocari possunt.

## II.

Argumenta orientalium recentiora: 1. Ex aequalitate potestatis ordinis omnium episcoporum; 2. e conceptu corporis Christi mystici; 3. rationes contra monarchicam ecclesiae constitutionem. — Conclusio.

1. Theologi orientales recentiores communiter docent, omnes apostolos iure divino aequales fuisse; ita etiam episcopos iure divino aequales esse. Episcopos iure divino aequales esse,

<sup>15</sup> Cerkev 191.

<sup>16</sup> Metropolita Antonij (Hrapovickij), olim metropolita Kievensis (hodie in Sremski Karlovci in Jugoslavia exul), in novo catechismo (*Opyt hristianskago pravoslavnago katihizisa. Srem. Karlovci 1924*) ad catechismum Filaret quaedam addidit de primatu.

Magis explicite quam Filaret docet, Christum esse unicum (exclusivum) caput ecclesiae (pg. 58). Contra primatum Romani episcopi directe arguit ex facto unius summi sacerdotis in A. T. non posse demonstrari necessitas talis unius summi sacerdotis in ecclesia N. T. Vice summorum sacerdotum enim Christus fungitur, qui »sempiternum habet sacerdotium« (Hebr. 7, 24); »unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis« (Hebr. 7, 25). Ideo post ascensionem Christi minime necessarius est visibilis summus sacerdos, qui homines duceret ad Deum. — Ad has difficultates in II. parte respondetur.

inde patet, quod episcopatus supremus gradus ordinis sit. Ergo gradus hierarchicus episcopo superior existere non potest. Sicut tres gradus sacramenti ordinis, ita etiam tres gradus iurisdictionis iure divino existunt: diaconatus, presbyteratus, episcopatus. Gradus iurisdictionis episcopalis iure canonico (ecclesiastico, historico) tantum distingui possunt; ita orti sunt gradus metropolitarum et patriarcharum. Inde theologi orientales recentiores deducunt primatum episcopi Romani modo analogo ortum esse; ergo primatum honoris iure canonico tantum episcopo Romano competere potuisse et posse.

Ex hac doctrina Homjakov deducit, iurisdictionem Romani episcopi iure divino atque eius essentiali ab iurisdictione episcopali distinctionem, iuxta theologiam catholicam nonnisi in singulari quodam sacramento fundari posse.<sup>17</sup> Protoiereus A. A. Lebedev hanc opinionem ulterius evolvit docendo, in doctrina catholicica primatum aequum ponit cum potestate ordinis, primatum itaque esse sacramentum; ordinem canonico-historicum cum ordine dogmatico confundi.<sup>18</sup> Similiter Akvilonov, Malinovskij e. a.

Attamen potius orientales recentiores potestatem sanctificandi (potestatem ordinis) parum distinguunt a potestate iurisdictionis; potestatem iuris divini aequam ponunt sacramento ordinis. Non negamus, primis saeculis christianos ad potestatem sanctificandi, ad supernaturalem internam vitam ecclesiae, ad supernaturalem unionem cum Christo magis attendisse quam ad hierarchicam constitutionem. Ideo saeculis prioribus quidam scriptores theoretice difficulter percipiebant veram primatum Romani notionem, e. gr. s. Cyprianus, episcopum Romanum centrum »unitatis sacerdotalis« considerans. Theologia catholicica recentior autem indelebilem characterem sacerdotalem atque potestatem ordinis bene distinguit a potestate iurisdictionis et magisterii.

Per potestatem ordinis Christus personaliter et physice operatur, ideo potestas ordinis nonnisi sacramento conferri potest; in potestate pascendi (regendi [iurisdictionis] et docendi) autem Christus solum moraliter operatur, ideo haec potestas etiam sine sacramento conferri potest.<sup>19</sup> Verum est potestatem ordinis in omnibus apostolis et episcopis aequalem esse. Attamen a priori non potest demonstrari aequalitate ordinis episcopalis iure divino postulari aequalitatem iurisdictionis (et magisterii) in omnibus episcopis. Ergo quaestio de gradibus iurisdictionis iuris divini solvi non potest argumentis a priori, sed solum argumentis historicis. Revera theologia catholicica primatum iurisdictionis non aprioristicis rationibus dogmaticis de-

<sup>17</sup> Sočinenija A. S. Homjakova II (Moskva 1900) 137.

<sup>18</sup> A. A. Lebedev, O glavenstvě pápy<sup>2</sup> (Petrograd 1903) 128—139 e. a.

<sup>19</sup> Cerkev 106 et 122.

monstrat, sed argumentis historicis e testimonio N. T. et traditionis. Ergo theologia catholica nec docet nec supponit, primum esse sacramentum, nec ordinem canonico-historicum cum ordine dogmatico confundit. Optandum est, ut magis advertatur ad hanc distinctionem. Vitandi sunt termini ambigui. Si vero tales termini adhibentur, addenda est explicatio. Terminis: summus pontifex, summus sacerdos, pervosjaščenik et similibus non significatur, Romanum episcopum ordine sacramentali superiore esse aliis episcopis.

Distinctione inter potestatem sanctificandi (ordinis) et potestatem regendi (iurisdictionis) multae obiectiones et obscuritates orientalium solvuntur. Hac distinctione facta clariore luce appareat relatio Christi ad ecclesiam ac relatio primatus ad Christum.

2. Theologi orientales recentiores communiter docent, mysticam (internam) ecclesiae unitatem sub invisibili capite Christo sufficere. Variis rationibus efficere conantur, ecclesiam universalem praeter Christum aliud caput monarchicum habere non posse.

Confessio Dosithei (1672) et post eam multi theologi orientales argumentantur, Christum propterea esse unicum ecclesiae caput, »quia homo mortalis non possit esse caput ecclesiae universalis ac perennis«. Catechismus Filareti et post eum catechismus Antonii docet, »ecclesiae omnibus saeculis duranti necessarium esse caput sempiternum«. Ecclesia usque ad finem mundi duratura non potest habere caput mortale, quod fraude decipi ac portis inferni vinci potest, sicut e. gr. Honorius papa haeresi victus est (Filaret, Akvilonov).

Ad eandem rationem reducitur argumentum ex unitate (numerica et essentiali) corporis Christi mystici, quod unicum tantum caput habere potest, i. e. Christum; ecclesia non potest esse biceps (Filaret, Akvilonov, A. A. Lebedev). Inde protiereus Lebedev cum aliis nonnullis deducit, doctrina catholica de primatu Christum ex ecclesia expelli, ordinem redemptionis perverti, corpus Christi mysticum scindi (Lebedev, Akvilonov, Malinovskij), ecclesiam quasi cuneo a Christo separari (Lebedev). Ergo papa est quasi Antichristus. Hanc horribilem consequentiam quidam orthodoxi, protestantes antiquiores sequi, deduxerunt (Dostojevskij in »Veliki inkvizitor« — Bratja Karamazovy).

Similia argumenta contra primatum deducuntur e nexus inter ecclesiam terrestrem et coelestem (Akvilonov, Malinovskij e. a.), ut demonstrant Christum, caput unicum ecclesiae coelestis, unicum quoque caput existere ecclesiae in terris.

In his similibusque argumentis theologiae orientalis recentioris parum distinguitur inter ordinem potestatemque sacra-

mentalem atque ordinem hierarchicum (canonicum, iuridicum), inter mysticam Christi actionem in membra ecclesiae atque iuridicam (moralem) eiusdem Christi supremam potestatem, ex qua omnis hierarchica potestas (etiam potestas episcopi Romani) pendet.

Non negamus, apud s. Paulum, qui primus sublimem illam depinxit ecclesiae speciem, cuius caput est Christus, ita connecti lineamenta mystica et hierarchica, ut acri et attento animo distingui debeant. Sancti patres quoque, apostolum Paulum sequentes et explicantes, ecclesiam ut corpus Christi adumbrantes, minus ad visibilem constitutionem advertebant. Orientales praesertim patres ad unitatem sacramentorum et fidei magis attendebant quam ad unitatem visibilem. Non raro mysticam Christi in ecclesia actionem obscure tantum distinguebant a visibili hierarchica constitutione; inde incerta et ambigua quaedam dixerunt de Christo fundamento ac petra ecclesiae.

Attamen tempore s. Pauli et patrum nulla systematica doctrina pugnabat contra hierarchicam potestatem episcoporum et papae. Obscura et ambigua quaedam verba praxi et clarioribus theoreticis aliis testimonio illustrabantur et corrigebantur. Post diuturnam vero scissionem atque ecclesiae orientalis in autonomas autocephalas ecclesias dismembrationem visibilis ecclesiae unitas et suprema potestas ex una parte praxi obscurata est, ex altera vero parte systematica doctrina vera hierarchicae constitutionis notio obfuscatur. Ita illa foveatur animorum dispositio, quae parum attendit ad testimonia N. T. et traditionis pro unitate et primatu visibili, eaque testimonia difficulter percipit.

Contra has orientalium difficultates non sufficiunt historica pro unitate et primatu argumenta, sed accuratius altiusque tractanda atque tractatui de ecclesiae constitutione inserenda est quaestio de corpore Christi mystico. Positiva huius sublimis quaestionis tractatione recta ecclesiae notio illustrabitur. Praeter patres et auctores occidentales multum iuvat Vladimir Solovjev sublimibus cogitationibus de intimo nexu firmi aedificii hierarchici cum vivo corpore Christi; hic nexus cum corpore humano comparatur, in quo firma ossium structura cum vitae organis cohaeret.<sup>20</sup>

Firmiter tenenda est distinctio inter principatum Christi et Petri. Christus sensu pleno et proprio caput ecclesiae existit, ex quo in omnia ecclesiae membra virtus vivifica emanat, ut supernaturaliter physice iungantur capiti Christo. Petrus vero eiusque successor est caput ecclesiae solum sensu improposito et metaphorico, moralem (iuridicam) tantum potestatem in fideles exercens; proinde membra ecclesiae cum capite visibili

<sup>20</sup> Sočinenija Solovjeva IV 561—562.

moralibus (iuridicis) tantum nexibus iunguntur. Immo etiam in hac potestate morali Petrus a Christo pendet; Christus enim etiam in ordine iuridico semper manet ecclesiae (visibilis) caput primarium et principale, propria virtute et auctoritate regens ecclesiam, cuius immutabilem constitutionem praefiniverat. Sicut omnes episcopi quodam sensu vicarii Christi existunt, analogice et episcopus Romanus vicarius tantum est Christi.

Item ordo visibilis hierarchicus distinguendus est ab ordine invisibilis gratiae vitaeque internae mysticae in ecclesia. Quam distinctionem certe negligunt extremi illi theologi orientales, docentes, Christi aeternum sacerdotium sufficere ad salutem, primatu papae autem Christum ex ecclesia excludi, ordinem salutis perverti, fideles a Christo separari. Ita e. gr. recentissimus catechismus metropolitae Antonii Hrapovickij, adducens Hebr. 7, 24. 25 (supra nota 16).

Inde apparet quasdam obiectiones orientalium ad consequencias protestanticas ducere, i. e. ad negationem sacerdotii, hierarchiae, visibilitatis ecclesiae. Orientales recentiores cum catholicis docent, episcopos, immo et simplices sacerdotes esse vicarios Christi. Per se sublimior quam iurisdictio est sacerdotalis potestas sanctificandi (ordinis), qua etiam simplex presbyter potestatem in corpus Christi physicum eucharisticum exercet, peccata remittit, gratiam sacramentalem confert. Unusquisque sacerdos natura sua humana indignus est tanto munere; nihilominus mediator existit inter Christum et membra eius corporis mystici. Cur igitur primatus episcopi Romani contradicit corpori Christi mystico? Quaestio ultimo eo revocatur, utrum iure divino solum collegium episcoporum supremam haberet potestatem in ecclesia, an collegium episcoporum simul cum visibili capite episcoporum et ecclesiae universae; an Christus invisible ecclesiae caput in ecclesia visibili monarchicalm, an collegiales solum vicarios habere possit.

3. Theologi orientales multas congerunt rationes, quibus monarchicam visibilem auctoritatem ex ecclesia a priori excludatur. Hodie post scissionem diuturnam notio visibilis monarchici regiminis ecclesiae doctrinis Byzantinis iam ita obscurata est, ut multi theologi orientales monarchicam ecclesiae visibilem potestatem supremam vix concipere possint. Praeter difficultates iam supra citatas, recentissime philosophus N. Losskij, de hac quaestione tranquille et irenice tractans, novas quasdam adducit rationes contra monarchicam ecclesiae constitutionem.

Losskij singularibus quibusdam philosophicis rationibus demonstrare conatur necessitatem, ut omnis multitudo (societas) entium unius speciei ente superioris speciei regatur; ita multae vivae cellulae corporis humani reguntur hominis persona, singulis cellulis superiore. Multitudo hominum in republica coadu-

nata unitur ac regitur quadam persona superioris ordinis, quodam »spiritu obiectivo« (Hegel). Monarchicus rector reipublicae minime sufficiens subiectum regiminis esse potest, sed cooperatione et consilio civium indiget, ideo tempore moderno monarchiae specietenus tantum monarchice reguntur; forma regiminis monarchici necessarie regimini »republicano« locum cedit.

Deus quidem est monarchicus rector mundi et Christus monarchicus rector ecclesiae, attamen nec Deus in regimine mundi, nec Christus in regimine ecclesiae vicarium monarchicum habere potest; homo talis muneric incapax ac indignus est. Ergo suprema potestas in ecclesia monnisi synodalnis (collegialis) esse potest. Solum in casibus extraordinariis Spiritus Christi ad unitatem tuendam per unum (monarchicum) vicarium loqui potest. Quapropter principium monarchicum in ecclesia cum regimine collegiali (synodali, sobornym) componi mitigarique debet. Hactenus L o s s k i j.<sup>21</sup>

Tota ratio huius argumentationis in demonstranda indiginitate et incapacitate individui hominis consistit. Ad hanc rationem respondemus, indignatatem hominis in comparatione ad Deum et Christum infinitam esse nec multitudine vel additione tolli posse. Sicut unus homo indignus et incapax est, ita etiam multitudo hominum.<sup>22</sup> Sicut quaedam difficultates aliorum theologorum ad protestanticam negationem hierarchiae et sacerdotii ducunt, ita etiam rationes a Losskij propositae. Non negamus hominem indignum et per se incapacem esse, ut sit vicarius Dei, Christi. Attamen haec quaestio cum mysteriis providentiae divinae ita connectitur, ut a priori nequeat solvi. Positivis argumentis historicis demonstratur, Christum instituisse ecclesiam hierarchicam et visibilem; eiusdem generis argumentis primatus Petri et successorum probatur.

Solovjev acute demonstrat hierarchicam potestatem non in dignitate vel morali perfectione episcoporum et sacerdotum fundari posse, sed in divina electione ac institutione.<sup>23</sup> Cum hoc hierarchico principio etiam primatus episcopi Romani plane convenit; negata convenientia talis primatus, necessarie etiam convenientia sacerdotii et hierarchiae in genere negatur.

Similiter demonstrari potest corpore Christi mystico minime excludi monarchicum caput visibile. Immo monarchicum regimen ecclesiae cum notione unitatis corporis Christi mystici atque cum uno mystico capite Christo magis convenire videtur quam regimen collegiale ac suprema potestas concilii oecumenici.

<sup>21</sup> Problemy russkago religioznago soznanija 333—340.

<sup>22</sup> Vera i Rodina 1924, nr. 11, pg. 225—231.

<sup>23</sup> Sočinenija Solovjeva IV 555—561.

Theologi orientales recentiores saepissime contendunt primatum episcopi Romani ecclesiam catholicam ad regnum saeculare deprimi. Ast econtra videtur, theologos orientales, contra primatum argentes, conceptum ecclesiae, supranaturalis societatis, nimis deprimere ad naturam regnorum saecularium. Comparationes cum societate naturali a theologis orientalibus contra constitutionem ecclesiae catholicae plus iusto premuntur. Firmiter tenenda est essentialis distinctio ecclesiae Christi a qualibet societate humana; analogiae cum societate naturali veritatem ne excedant.

Secunda ss. Trinitatis persona divina incarnata est humilemque naturam humanam induit, ut genus humanum redimeret atque, »ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedicare ecclesiam decrevit,«<sup>24</sup> eamque visibilem. Ecclesia autem visibilis rectoribus et mediatoribus visibilibus regi et administrari debet. Ideo Deus infirmos homines ad sacerdotium et ad hierarchicos gradus vocavit. Ex visibilitate ecclesiae aliquantenus explicari potest mysterium providentiae divinae permittentis, ut sacerdos peccator potestatem sanctificandi retineat atque indigni quoque peccatores vicarii Christi existant. Si potestas sanctificandi et pascendi ab interna perfectione penderet, visibilitas ecclesiae periret. Visibilis universalis ecclesiae unitas vero visibile monarchicum regimen in ecclesia postulare videtur. Revera et protestantes et orientales separati, qui primatum visibilem a Christo institutum negant, visibili oecumenica ecclesiae unitate non gaudent. Ipsi orientales recentiores concedunt, unitatem externam inter ecclesias autocephalas periisse.<sup>25</sup>

Zivojin Perić, professor iuris in universitate Belgradensi, iterate scripsit, ecclesiae orientalis in autonomas ecclesias nationales dismembrationem aperte contradicere doctrinæ Christi, catholicam autem universalitatem et unitatem concordare cum indole doctrinæ christianaæ.<sup>26</sup>

Difficultates theologiae orientalis recentioris inutiles non sunt. Siquidem theologos catholicos ad doctrinam de primatu perpoliendam monent.

Historica de primatu tractatio ne in singulis patrum dictis sistat, sed ad integrum historiae contextum potius attendat, nec solum ad saec. V. et VI., sed usque ad saec. IX. progrediatur. Historica argumentatio porro mystica ecclesiae consideratione compleatur.

<sup>24</sup> Conc. Vaticanum.

<sup>25</sup> A. A. Lebedev, O glavenstvě papy 128.

<sup>26</sup> Religija u srpskom grad. zakoniku (Beograd 1919) 17; Die religiöse Frage in Jugoslavien. (Tiroler-Anzeiger) Innsbruck, 30. augusti 1924.

Concilio Vaticano monente, fidelium mentibus instanter (»satis numquam commendari potest«) obiciatur illa »praecellens ecclesiae species, cuius caput est Christus«. Tractatui de corpore Christi mystico inseratur etiam quaestio de primatu, ut splendore mystici illius conceptus ipse primatus collustretur eiusque locus in mystico ecclesiae templo illuminetur. Inde vera primatus et celsitudo et humilitas clarius apparebit atque distinctio inter primatum Christi et Petri patebit (supra II 2).

E doctrina de corpore Christi mystico porro sequitur, potestate episcopi Romani veram fidelium libertatem spiritualem minime deprimi, sed potius augeri. Fideles enim, ad libertatem filiorum Dei vocati, Christo capiti baptismate inseruntur, sacramentis et gratiis aluntur atque foventur. Supernaturalis physica fidelium cum Christo capite coniunctio certe sublimior est quam morales (iuridici) nexus cum hierarchica potestate episcoporum et Romani pontificis. Idem rursus episcopi, potestate pascendi ecclesiam regentes, simul plenitudine potestatis sacerdotii gaudent, qua vivificans Christi virtus fidelibus impertitur. Firmum ecclesiae hierarchicae aedificium vivum simul existit corpus cum capite Christo, ex quo omnis potestas et vita in ecclesiam emanat. Potestate pascendi ordo in ecclesia servatur, ut vivifica spiritualis potestas sanctificandi et aptius et efficacius exerceatur. Ordo in ecclesia primatu provehitur. Atqui quo perfectior ordo, eo maior libertas atque faustior opportunitas ad vivificantem exercendam potestatem sacerdotalem, qua Christo iungantur fideles atque libertas filiorum Dei foveatur.

N. Berdjaev, Vladimiri Solovjevi vestigia premens, philosophos theologosque Russos monet, ne astruant »ideas Russicas«, a rerum veritate nimis discrepantes.<sup>27</sup> Catholici rursus monendi sunt theologi, de hierarchica ecclesiae constitutione tractantes, ne sublime corpus mysticum Christi negligant.

Theologia de unitate ecclesiae sic tractetur, ut omnibus credentibus in Christum, Filium Dei vivi, late nateant portae mystici templi ecclesiae, domus Dei viventis. Omnes amantes Christum, diligunt et Sponsam eius, blandam Matrem Ecclesiam, eiusque maturent unitatem oecumenicam.

Profundiore consideratione praecellentis illius speciei ecclesiae, cuius caput est Christus, visibilis ecclesiae unitas mire collustratur atque foveatur. Quia quo propius Christo, eo propius unitati.

Post preelectionem R. P. Lepka sequentem proposuit observationem:

Animis praeoccupatis non videtur sufficere analysis et solutio difficultatum, nam disputationibus ortis, semper novae surgunt. Sed potius ex consequentiis argumentum extrui deberet: Unitas ita essen-

<sup>27</sup> Vide supra notam 10.

tialiter ad ecclesiae conceptum pertinet, ut hac sublata saltē in conditionibus extraordinariis non possit servari. Hodiernae conditiones ecclesiae Russicae eius veritatem ad examen vocant.

Ad hanc difficultatem prof. F. Grivec indirecte sic respondit:

1. Munus professorum est, ut methodo scientifica quaerant, illustrant, propugnant veritatem. Irenicae disputationes de ecclesia, ratione habita doctrinae orientalis, non solum scientiam theologicam provehunt inter catholicos, sed etiam pietatem et caritatem movent. Ex propria experientia dicere possum, multum me in doctrina de ecclesia iuvasse orientalium theorias et difficultates, p̄aeprimis Russorum, apud quos non pauca profunda occurrunt.

2. Conventus noster p̄aeprimis catholicis destinatus est, ad vulganda studia orientalia inter catholicos. Hospites orthodoxos paucos quidem invitavimus, ast non ut a nobis discant, sed ut testes sint nostrae doctrinae catholicae, quam integrum profitemur palam, publice, supra tecta.

3. In genere veritas christiana non diffunditur disputationibus polemicis, sed potius obiectiva christiana veritatis expositione. Splendor veritatis christiana longe superat sapientiam nostram humanam. Recentior methodus apologetica positivam veritatis expositionem p̄aeprimis commendat: late aperiantur portae mystici templi doctrinae christiana.

4. Denique unitas ecclesiae magis promovetur exemplo vitae sanctae et caritatis quam disputationibus. Defectio a vita christiana practica causa est schismatum (Solovjev), reditus ad Christum est via ad unitatem; quo propius Christo, eo propius unitate.

## DE HODERNO STATU ECCLESIARUM ET RITUUM ORIENTALIUM.

*P. Raymundus Janin O. S. Aug. ab Assumpt. — Constantinopolis.*

Mos est designandi christianos nostrarum regionum qui non sequuntur ritum latinum sub generali nomine ecclesiae orientalis. Nihil falsius hac voce. Etenim, tempore quo schisma nondum separaverat ecclesiam byzantinam a cathedra sancti Petri, erant jam plures ecclesiae orientales dissidentes, inter se aemulae et catholicae veritati infensae. Etiamsi hodie haec vox datur solummodo christianis ritus byzantini qui universius cognoscuntur, adhuc necesse est dicere ecclesias orientales, non autem ecclesiam orientalem, nam illarum numerus miro modo auctus est, praesertim a centum annis, nec una ab alia pendet.

Nunc sunt plus quam triginta ecclesiae orientales dissidentes, quae quinque ritus diversos sequuntur, et fere duodecim

ecclesiae catholicae, in sex ritus divisae. Res ergo est diffi-  
cillima sibi eformare ideam veram de illis orientalibus eccl-  
esiis. Optimus modus non errandi in tot ambagibus est illas  
aggregare secundum ritum, quia sic filius illarum reperiuntur  
communes origines et melius appetit historica evolutio. Omnes  
illae ecclesiae schisma passae sunt, et quaedam etiam haere-  
sim; omnes amiserunt aliquot suorum fidelium, qui amicitias  
cum ecclesia Romana denuo junxerunt. Est etiam quidam  
ritus, nempe maroniticus, cuius omnes assectatores redierunt  
ad veritatem a pluribus jam saeculis.

In hâc präelectione dicemus in primis de ecclesiis ritus  
byzantini, quia sunt longe ampliores (plus quam 140,000,000 fi-  
delium) et nobis propinquiores, deinde de aliis, quarum fideles  
sunt fere 10,000,000 et quae non minus studium a nobis requi-  
runt.

Praelectio nostra ex tribus constabit partibus: 1. dabimus  
brevem conspectum ecclesiarum ritus byzantini, catholicarum  
et dissidentium; 2. studebimus internae vitae ecclesiarum  
orthodoxarum; et 3. dabimus de ecclesiis aliorum rituum ali-  
quot notiones, ut sic omnes describantur.

### I. Pars: Conspectus generalis ecclesiarum ritus byzantini.

Byzantium dicimus hunc ritum qui, oriundus Antiochia,  
postea multum auctus est et ditatus, a quarto ad decimum  
saeculum, sub inspiratione fere exclusiva Constantinopoleos,  
antiqui Byzantii. Haec vox melius illi congruit quam vox ritus  
graeci quam plerique illi dant, quia perfectius notat illius ori-  
ginem et illum discernit ab aliis graecis ritibus hodie extinctis  
vel qui aliis quam graeca utuntur linguis. Vulgatus in omni  
imperio byzantino, in quo factus est publicus, postea dissemini-  
natus est in Europa orientali cum conversione Slavorum; pe-  
netravit in Asiam septentrionalem per Siberiam et nuper  
radices egit in America cum migrantibus Slavis, Graecis, Ru-  
menis, Syriis, etc., qui illic conserderunt multi (fere 2,000,000).  
Hodie illum sequuntur plus quam 140,000,000 christianorum.  
Major pars eorum pertinent ad ecclesias dissidentes, sed con-  
stitutae sunt et ampliae ecclesiae catholicae. Loquemur de  
utrisque.

#### 1. De ecclesiis orthodoxis.

Orthodoxas dicimus, secundum vocem quam ipsae sibi  
vindicant, ecclesias ritus byzantini, quae degunt extra unitatem  
christianam sub potestate Apostolicae Sedis ordinatam. Cen-  
tum ante annos, duae tantum reperiebantur ecclesiae ortho-  
doxae sui juris, scilicet patriarchatus graecus Constantinopolitanus  
et ecclesia russica. Novi status qui ab illo tempore con-  
stituti sunt sibi vindicaverunt independentiam ecclesiasticam,

saepe saepius invito patriarchatu Constantinopolitano. Ante bellum generale, jam inveniebantur circa quindecim ecclesiae independentes. Hodie, licet plures earum conjunctae sint ut unam tantum efforment, ut videri est in Rumenia et Yougoslavia, sunt fere viginti et hic numerus probabiliter adhuc augebitur.

Quattuordecim ex eis obtinuerunt suam plenam independentiam, vel potius autocephaliam, ut dicitur apud orthodoxos; septem adhuc conantur ut et ipsae emancipientur. Dividuntur in sex diversa genera: Slavos, Rumenos, Graecos, Melkitas, Georgios et Albanenses, et utuntur sex linguis in sua quaeque liturgia, scilicet slavica, rumenica, graeca, arabica, georgica et albanica, praeter alias diversas in russicis missionibus.

**Slavi.** Slavi constituant novem aggregationes, ex quibus quaedam adhuc non possident plenam independentiam ecclesiasticam.

Russi sunt longe numerosius elementum orthodoxismi, octoginta quinque ex centum partibus. Ante bellum generale, in ecclesia publica congregati erant a sancta synodo Petropolitana recta, sed revera civili potestati subjecta. Hodie, plures habent ecclesias. Restauratio patriarchatus nationalis Moscoviensis, mense octobri 1917, concurrit cum triumpho bolševismi, cuius funestae ideae irrepserunt usque in ordines cleri. Persecutores trucidaverunt 28 episcopos et 1200 presbyteros; multi clerici et laici in alias fugerunt partes, ubi novam ecclesiam constituere conantur. In Russia, sovieticae potestates religioni infensissimum indixerunt bellum in scholis, theatris, cinematographiis, libris et diariis. Pseudoreformistae occasionem nacti sunt ut novas condant ecclesias: ecclesiam antiquam apostolicam, ecclesiam viventem, ecclesiam renascentem, ecclesiam liberam operariorum, etc. Ukrainienses conati sunt et ipsi ecclesiam nationalem vere presbyteralem condere. Patriarcham Tychonem secuti sunt optimi christiani, sed, cum agnoverit sovieticam potestatem, multi ab illo discesserunt. Mors ejus, quae mense aprilii 1925 evenit, majorem tumultum in animis creavit et ejus synodi seditiosae, quae Moscoviae constituta est, statum firmavit. Etsi plures provincias perdidit, Russia adhuc numerat 110,000,000 orthodoxorum, cum tribus metropolibus et 55 episcopatibus archiepiscopatis. Ante quindecim annos inveniebantur 60,000 ecclesiarum capellarum cum 50,000 sacerdotum et 15,000 diaconorum; multae earum hodie profanis usibus sunt deditae. Vita monastica multum creverat in Russia; inveniebantur 17,000 monachorum in 450 monasteriis et 12,000 monialium et 40,000 novitiarum in 300 monasteriis. Pleraque ex illis domibus sunt hodie clausae monachique ejecti. Praeter orthodoxos procrie dictos numerandi sunt circa 15,000,000 veterum credentium (starovsky), correctiones repugnantium quas patriarcha Nicon

effecit saeculo XVII., multi quoque diversarum sequaces sectarum christianarum, quarum doctrinae sunt maxime variae.

Secunda ecclesia slavica orthodoxa, ordine amplitudinis, est patriarchatus nationalis serbicus, ab aliquot annis restitutus, qui numerat plus quam 5,500.000 fidelium et aggregat omnes orthodoxos Yougoslaviae, inter plures olim ecclesias divisos. Reperiuntur 4 metropoles et 21 episcopatus. Clerus saecularis non attingit numerum 3000 sacerdotum. Quod ad monachismum attinet, reperimus 400 monachos in plus quam 100 monasteriis.

Adimus nunc ecclesiam bulgaricam, quam Graeci adhuc habent schismaticam, a tempore quo eam anathematizaverunt anno 1872. Illi pertinent plus quam 4,000.000 fidelium, cum 11 metropolibus, quos regit sacra synodus Sardicensis seu Sofiensis. Titulus exarchae, quem sibi vindicat princeps illius ecclesiae non fertur a decem circiter annis, sed exstat Constantinopoli quidam vicarius exarchatus. Clerus saecularis constat ex mille et octingentis sacerdotibus; monachi sunt 140 in 80 monasteriis; moniales plus quam 100 in 12 monasteriis.

Polonia, quae continet fere 3,000.000 orthodoxorum, curavit ut daret eis formam specialem, quae illos subtraheret a potestate patriarchatus Moscoviesis. Hinc successit ut patriarchatus graecus Constantinopolitanus independentiam ecclesiae orthodoxae Poloniae agnosceret, mense novembri 1924. Haec autem habet 5 dioeceses et sacram synodus Varsaviae.

In Cecoslovacia, habemus duas ecclesias quae vocari volunt orthodoxae. Prima et numerosior (circa 500.000 fidelium) constituitur ex ecclesiae catholicae perfugis, quos quidam sacerdotes suae missioni infideles in schisma traxerunt. Episcopus serbus Naissensis Dositheus eis ecclesiam nationalem constituit anno 1923, cum 4 dioecesibus. Ista ecclesia jam dividitur in duas partes, unam quae vertitur in protestantismum et rationalismum, alteram autem ecclesiae orthodoxae serbicae magis subjectam. Secunda ecclesia, pure orthodoxa, amplectitur 73.000 Russorum in Carpathis degentium, quibus infeliciter jungendi sunt multi catholici orientales ejusdem regionis, quos russi sacerdotes ab Unione abstraxerunt. Patriarchatus graecus Constantinopolitanus huic ecclesiae, mense martio anni 1923, archiepiscopatum Pragensem constituit.

Novi Status circa Balticum mare: Finlandia, Lettonia sive Latvia, Estonia continent et ipsi aliquot orthodoxos. Patriarchatus graecus Constantinopolitanus constituit, mense julio anni 1923, archiepiscopatum Finlandiae (50.000 fidelium), et metropolim Estoniae (210.000 fidelium), quos sibi subjecit, saltem nominaliter. Lettonia seu Latvia, licet habeat 138.000 orthodoxorum in episcopatu Rigensi nondum illis dedit propriam constitutionem.

In summa, omnes Slavi orth. sunt plus quam 124,000.000.

**Rumeni.** Rumeni, olim quattuor diversis ecclesiis subjecti, unam tantum habent hodie, patriarchatum nationalem Bucarestensem, mense februario anni 1925 creatum. Haec ecclesia habet 5 metropoles, 13 episcopatus et 11,000.000 fidelium. Clerus saecularis constat ex 8000 sacerdotum. Vita monastica adhuc repraesentatur a fere mille monachis in 40 monasteriis et mille quingentis monialibus in 34 monasteriis.

**Graeci.** Graeci habent tres principales ecclesias. Patriarchatus Constantinopolitanus, qui vocatur et »oecumenicus« et »Magna ecclesia Christi«, vulgus vero Phanarium a vico urbis in quo sedet, est radix totius orthodoxismi. Olim praepotens, videtur in perpetuum populatus, etenim Turcae, qui illum servare debent ob Lausaniense pactum, ei multas molestias instruunt. Est adhuc alicujus momenti, quia status hellenicus retinet in ejus potestate provincias turcicas, quas sibi adjunxit ab anno 1912. Post recentes retractationes, possidet 57 metropoles, ex quibus 4 tantum in Turcia, 7 episcopatus suffragantes in insula Creta et plus quam 2,000.000 fidelium, ex quibus vix 200.000 tantum sunt in Turcia. In patriarchatu Constantinopolitano, prope Thessalonicam, invenitur mons Athos, in quo degunt plura millia monachorum sub potestate 20 majorum monasteriorum congregatorum.

Ecclesia nationalis hellenica extenditur ad omnes provincias quas Graecia possidebat ante balkanicum bellum. Habet 33 dioeceses, ex quibus archiepiscopatum Atheniensem et 32 metropoles. A duobus annis, regitur non a sacra synodo, sed a synodo generali episcoporum. Numerat plus quam 3,500.000 fidelium.

Ecclesia Cyprensis, sui juris a concilio Chalcedonensi, extenditur solummodo ad orthodoxos hujus insulae, qui sunt 250.000. Exstat ex archiepiscopatu et tribus metropolibus, cum 800 sacerdotibus.

Graeci condiderunt magnas colonias in America, praesertim in Foederatis Statibus, ubi sunt amplius 200.000. Patriarchatus Constantinopolitanus eis dedit, anno 1923, aliquam autonomiam et creavit provinciam ecclesiasticam quattuor dioecesum. Illa nova ecclesia, vix constituta, patitur discordias et quidam metropolita, licet depositus et excommunicatus a Phanario, condidit ecclesiam independentem, mense novembri 1924.

**Melkitae.** In Syria et Aegypto reperiuntur indigenae orthodoxi, mixti in variis proportionibus cum Graecis. Illi christiani, qui linguam loquuntur arabicam, vocantur Melkitae, quia olim patres eorum fideles steterunt imperatori byzantino (a voce syriaca *Melek*, rex). Quamquam non sint amplius 350.000 pertinent ad quattuor diversas ecclesias: patriarchatum Antiochensem cum 200.000 fidelium et 13 metropolibus, patriarchatum Hierosolymitanum, cum 2 metropolibus et 35.000 fidelium,

patriarchatum Alexandrinum, cum 6 metropolibus et 110.000 fidelium (in majore parte Graecorum); tandem archiepiscopatum Sinaiticum cum centum fere fidelibus, ex quibus dimidia pars sunt monachi monasterii Sanctae Catharinae in monte Sina.

**Georgii.** Georgii seu Iberi, inviti uniti fuerunt ecclesiae russicae ante centum annos. Septem ante annos constituerunt ecclesiam nationalem, cum catholico seu patriarcha Tifliensi et 5 episcopis. Fideles sunt plus quam 2,000.000. Bolševici, qui nunc illa regione potiuntur, ecclesiam gravissime persecuti sunt et multos clericos in carceres detruserunt.

**Albani.** Tandem orthodoxi Albani, quorum numerus attingit ad 180.000, suos graecos metropolitas expulerunt et, mense septembri anni 1922, ecclesiasticam independentiam renuntiarunt. Habent tres metropoles. Clarissimus eorum episcoporum est ille Fan Nolli, qui anno 1924 princeps gubernii fuit.

## 2. De ecclesiis catholicis.

Omnis orthodoxi sunt plus quam 140.000.000. Inveniuntur autem tantummodo 7.000.000 catholicorum ritus byzantini; scilicet priores constituunt 95 partes de centum totius numeri christianorum hujus ritus.

Longe plures inter illos orientales catholicos sunt Rutheni, qui hodie libentius vocantur Ukrainenses. Numerosiores degunt in Galicia et Carpathis, sed multi migraverunt in diversas regiones, praesertim in Americam Septentrionalem. In metropoli Galiciae, quae exstat ex tribus dioecesisibus, sunt plus quam 3.500.000, cum circiter 2000 paroeciarum et 2000 sacerdotum. In Cecoslovacia, sunt 500.000 in duabus dioecesisibus, cum 450 sacerdotibus; alii sunt dispersi in Hungaria, Bukovina et Bosnia-Herzegovina, plus quam 100.000; majorem partem constituunt dioeceseos Crisiensis, de qua vobis peritus mox loquetur. In America sunt plures quam 800.000, praesertim in Statibus Foederatis et Canada, cum episcopis suaे gentis.

Bulgari, bonis eversi et bellis a duodecim annis dispersi, sunt tantummodo 6000. Apud eos nuper erant duo vicariatus apostolici; nunc denuo restituuntur.

Rumeni uniti sunt fere 1.500.000, cum metropoli Alba-Juliensi et tribus episcopatibus in Transylvania.

Graeci uniti, non sunt 2000 in Turcia et Graecia. Habent episcopum cum jurisdictione pro duabus illis regionibus. Hodie degit Athenis, ubi a clero orthodoxo graviter impugnatur.

In Sicilia et Italia meridionali, posteri Graecorum et Albanorum qui olim fugerunt tyrannidem Turcarum, suum ritum servaverunt. Habent nunc episcopum in Calabria a duobus annis; qui vero in Sicilia degunt latinis episcopis subduntur. Sunt fere 80.000 cum coloniis Americae.

In Syria, Palestina et Aegypto, necnon in Europa et America, invenimus Melkitas catholicos, patriarchae Antiochensi et 12 episcopis subditos. Clerus saecularis est multus; quattuor congregations virorum aggregant 400 monachos in 24 monasteriis; moniales vero sunt fere centum in 5 monasteriis. Fideles ad 165.000 numerantur.

Georgii catholici a russicis potestatibus jubebantur ritum latinum aut armeniacum sequi. Rari sunt fideles catholici ritus byzantini, nec specialem habent organisationem.

Ne cujusquam obliviscamur, dioecesim memoramus Hajdu-Dorghensem, in Hungaria. Haec, anno 1912 creata, cujusque lingua liturgica debebat esse graeca antiqua, post bellum generale majorem paroeciarum suarum partem amisit.

## II. Pars: De interna vita ecclesiarum orthodoxarum.

Ut supra diximus, utque conspectus noster probavit, orthodoxyismus non efformat unum quoddam commune. Diu patriarchatus Constantinopolitanus, caput ecclesiae byzantinae, maximas tenuit partes. Evangelisationi slavorum populorum praefuit eisque multa per saecula directionem dedit. In memoriam illius maxima auctoritatis diversae ecclesiae orthodoxae illi tantum servaverunt obsequium ut pluribus visum fuerit esse vera subjectio. Attamen non est ita. Unaquaeque ecclesia nationalis, cum sit autocephala, jus habet se gubernandi ut sibi placuerit, dum sacros apostolorum et synodorum canones servet veteresque traditiones. Jam ut Phanarium hanc independentiam agnovit, illi amplius non competit de illarum vita particulari. Omnes conatus quos aliqui patriarchae in eam partem fecerunt, infaustum habuerunt successum. Testimonium afferam tantummodo vehementes recusationes quas Russi derunt his elapsis annis, quando patriarchatus Constantinopolitanus in regionibus a Russia disjunctis novas ecclesias constituit.

Attamen ille patriarchatus aliquam adhuc retinet auctoritatem, licet eundo decrescat. Tenetur habere primatum quemdam honoris et aliqua ex parte jurisdictionis, quia multo tempore illius licentiam ut necessariam crediderunt ad constituendas novas ecclesias novosque patriarchatus. Notemus tamen Rumenos non consuluisse Phanarium cum voluerunt, ante sex menses, suum patriarchatum condere, et illos tantummodo ei rem indixisse post factum. Ratio videtur antiquam doctrinam orthodoxam hodie mutari. Patriarchatus oecumenicus ratione ecclesiae, russicum imperium ratione civilis potestatis, erant capita orthodoxi ab omnibus acceptata. Russicum imperium collapsum est; patriarchatus oecumenicus, populatus bellis a duodecim annis et fuga generali christianorum Asiae Minoris et Thraciae orientalis, captivus est Turcarum, qui ejus

activitatem quantum possunt impediunt. Fere nullam auctoritatem habet numero fidelium, cum si principium nationalitatis ei imponeretur, amitteret plus quam 2,000,000 fidelium qui degunt extra fines Turciae et non haberet nisi 200,000 orthodoxorum quos possidet illa regio. Sic facile intelligitur cur Atheniensis potestas civilis nolit ab illo segregare provincias quibus ipsa potita est a duodecim annis. Iste humillimus status maxime minuit auctoritatem sedis Constantinopolitanae. Ceterum quae-dam gentes, in maxima parte orthodoxae, tandem unitae post bellum generale et vastos fines possidentes, ut Yougoslavia et Rumenia, libenter assumerent locum a Phanario et russico imperio derelictum. Cujus rei testimonium habemus primo quod sacra synodus Belgradensis studiosissime flagitaverit ut concilium panorthodoxum agitatum ad sexta decima saecularia celebranda concilii Nicaeni Naissi haberetur, quae urbs patria est Constantini Magni, et, cum visum est hoc concilium impossibile fore, ut congregarentur in praefata urbe legati diversarum ecclesiarum ad futurum concilium praeparandum. Eamdem rem cogitant Rumeni orthodoxi, cum convocent, proximo mense octobri 1925, omnes principes ecclesiarum orthodoxarum, ut Bukarestii celebrentur haec solemnia saecularia. Principalis enim causa, quae eos induxit ad condendum patriarchatum fuit ut eorum primas non haberet inferiorem gradum in futuro concilio, cum sit princeps ecclesiae nationalis quae numerat fere 12,000,000 fidelium. Regem Rumeniae, deinde regem Yougoslaviae rogavit patriarcha Hierosolymitanus Damianus ut sacrorum locorum et generaliter omnium orthodoxorum protectionem assumeret. Elapso hieme, Rumeni propositum indixerunt a sancta civitate ceteroquin oriundum, ut Hierosolymis conderetur superpatriarchatus, cuius munus esset componendi difficultates inter ecclesias orthodoxas et decidendi quaestiones litigiosas. Hoc propositum male acceptum est. Serbi dixerunt se nimium passos esse a patriarchatu Constantinopolitano ut aliam ejusdem modi potestatem agnoscerent. Graeci, quorum privilegiis hoc propositum periculo erat, illud sepelierunt, dicentes permanentem commissionem posse partes tenere superpatriarchatui assignatas.

Omnis ergo illae ecclesiae, licet independentiam quam aliquando magno pretio adeptae sunt acriter defendant, sentiunt tamen necessitatem summae potestatis quae illas inter se uniat et ordinem servet et pacem. Quaedam non prohibentur quin appetant has partes arbitri, quas aliquo modo tenuit patriarchatus graecus Constantinopolitanus et quae hunc hodie fugere videntur.

Ecclesiae orthodoxae libenter vocantur ecclesiae sorores, sed illa fraternitas tenuissima est. Ecclesia bulgarica, anathematizata a concilio graeco Constantinopolitano anni 1872 et habita ut schismatica a diversis ecclesiis graecis, bonam habet

rationem cum aliis ecclesiis orthodoxis. Si concilium panorthodoxum unquam teneatur, quaestio difficile solvetur utrum ejus legati admitti possint an non, si Graeci doctrinae suae prudenter non renuntient. Ad quid extenditur revera illud commercium inter orthodoxas ecclesias? Quando patriarcha vel princeps ecclesiae nationalis nominatur, hoc aliis ecclesiis significat litteris encyclicis, dictis irenicis, scilicet communionis, quibus collegae respondent aut non, sicut illis placuerit. Ali quando etiam quaedam ecclesiae quaestiones dirigunt ad patriarchatum oecumenicum, qui ut custos depositi traditionis habetur, sed ejus responsus sunt prudentissimi, ut factum est, ante aliquot annos, quando sacra synodus Belgradensis eum interrogavit de matrimonio sacerdotum et diaconorum viduorum. Hodie istae ecclesiae dividuntur in pluribus rebus magni momenti, quarum praecipuae sunt emendatio calendarii et concilium oecumenicum. Sunt et aliae res minores, ut secundum matrimonium sacerdotum, emendatio habitus ecclesiastici, etc.

Nuper conservatio calendarii juliani habebatur ut pars necessaria orthodoxarum traditionum et omnis conatus ad emendationem videbatur ut consilium catholicum, ea praesertim ratione quia calendarium fuerat emendatum a papa Gregorio XIII. (Notandum eadem de causa protestantes duo tantum post saecula amplexatos esse gregorianam emendationem, quae cum religione non habet nisi longiore relationem.) Post bellum generale, ideae paulisper hanc in re mutatae sunt. Pressae a guberniis, quae calendarium gregorianum adoptaverant quaedam ecclesiae idem fecerunt, scilicet Constantinopolitana, Atheniensis, Cyprensis et Rumenica. In Russia, emendatio recepta fuit ab aliis, ab aliis vero recusata. Omnes aliae ecclesiae orthodoxae et quaedam catholicae fideles permanserunt calendario juliano.

Convocatio concilii oecumenici quod decidat quasdam quaestiones generales quae in suspenso sunt a multis annis et quod commemoret sexta decima saecularia primi concilii Nicæni, multas disputationes suscitavit. Cum hoc concilium non posset congregari Nicæae, nec Constantinopoli, ob infensem animum Turcarum, proponebatur urbs Hierosolyma, ut civitas in qua natus est christianismus. Serbi concilium Naissi, quae patria est Constantini Magni fieri volebant, cum secreto consilio maximas in conventu partes tenendi. Deinde, tempus conventus et libellus quaestionum tractandarum statuenda erant. Quas ob res magnum ortum est certamen inter patriarchatum Constantinopolitanum et patriarchatus Alexandrinum et Hierosolymitanum, quod ibi referre non possum. Publicum periodicum patriarchatus Alexandrini, Pantai nos, acriter impugnavit Phanarium, calamus tenente quodam metropolita. Inter disputandum, tempus effluxit et mox apparuit concilium esse impossibile et de illo siluere omnes.

Conventus interorthodoxus habitus Constantinopoli, mense maio anni 1923, praesidente patriarcha Meletio, quasdam decreverat emendationes, ex quibus una calendarium spectabat. Diximus jam quid de illa evenerit. Expeditio habitus ecclesiastici, sectio barbae et capillorum non meliorem habuerunt exitum. De secundo matrimonio sacerdotum, quaestione tractanda a concilio oecumenico, non amplius loquuntur. Nulla ecclesia ausa est illam magnam correctionem decidere, licet conventus interorthodoxus jus illam faciendi cuicunque ecclesiae recognovisset. Ex omnibus rebus quas attulimus clare appareat ecclesias orthodoxas non posse inter se consentire ad dirimendas quasdam quaestiones et esse servas tyrannicae cuiusdam traditionis a qua non est absens quidam timor imitandi ecclesiam catholicam.

Si unamquamque conspiciamus, plures res in illis afficiunt animum etiam non praemonitum: necessitas pro illis innitendi in civilem potestatem, magna pars laicorum in regenda ecclesia et denique mediocris institutio cleri et fidelium.

Apud Byzantinos imperator publice salutabatur titulus aequalis apostolorum (*ἴσαπόστολος*); videbatur nullam quaestionem religiosam posse decidi sine ejus assensu. Hinc interventus continuus et saepe perniciosus civilis potestatis in vita interna ecclesiae. Hic caesaropapismus, qui videtur pars essentialis orthodoxiae orientalis, reperitur modo plus minusve aspectibili in omnibus hodiernis ecclesiis. In Russia, ubi ecclesia suffocabatur privilegiis, hic interventus manifestabatur aperiens quam ubique, ita ut episcopi tantummodo essent praefecti ecclesiastici. In aliis regionibus, religio orthodoxa erat religio publica, etiamsi gubernium non ei daret integrum subsidium ad quod obstrigebatur constitutione civili. Hodie ista conditio partim immutata est in plerisque regionibus. Ecclesiae orthodoxae videntur non habere ipsae vim gubernandi fideles; orbatae subsidio status, impotentes sunt defendendi principia vitae christiana et major pars cleri, sacerdotes et episcopi obeundo persecutioni impares sunt. Hoc clare visum est in Bulgaria et in aliis regionibus, ubi civiles potestates potuerunt bellum indicere ecclesiae vel mutare ejus constitutionem animo aperte protestantico quin ullibi appareret vera repugnantia. Orthodoxismus saepe habetur ut pars nationalismi et non enuntiatio divinae veritatis. Revera plerique orthodoxorum credunt perdidisse suam nationalitatem eum qui factus est catholicus.

Iste interventus civilis potestatis alio modo adhuc revealatur, scilicet parte principali quam laici in plerisque conciliis nationalibus, episcopalibus vel parochialibus diversarum regionum orthodoxarum obtinuerunt. Saepissime duas e tribus partibus horum conciliarum isti efformant, praesertim in electione episcoporum et parochorum. In quibusdam ecclesiis

parochus non participat parochiali commissioni, vel non est ejus praeses sed quidam laicus!

Tertia nota quae commovet animum proprius considerantis ecclesias orthodoxas est institutionis religiosae cleri populique insufficientia. Nulla possidet satis multa seminaria ut omnes clerici in eis instituantur. Russia meliorem partem habebat, sed revolutio ejus disruptit 58 seminaria et 4 academias ecclesiasticas. Quaedam ecclesiae habent seminaria mediocria. In plerisque regionibus major pars sacerdotum non studuerunt in seminariis et saepe elementarem tantummodo institutionem receperunt. Etiam ubi institutio intellectualis sufficit, ideae protestanticae et rationalisticae invadunt per libros et magistros. Nullibi curatur de vere morali institutione quae sacerdotem efficiat parem legatione Christi fungendo. Inde mirandum non est populum magis traditione religioni fidelem esse quam personali persuasione. Catechismus saepe insufficienter doceatur, praedicationes rarae sunt, quia multi sacerdotes impares sunt praedicando verbum Dei. Nulla ex his quae tam crebra sunt in ecclesia catholica, videlicet recollectiones, exercitia spiritualia, et caetera hujusmodi, fervorem fovent. Periodica religiosa in multis regionibus ab aliquot annis tantummodo prodi incepérunt nec multum leguntur. Ex omnibus istis causis amotio a religione magis ac magis appetit; theoriae materialisticæ superant tam nobiles ideas christianas et bolševismus magnum favorem habet in quibusdam regionibus orthodoxis, ut in Bulgaria.

Ne protrahamus hunc conspectum atro colore pictum, sed intelligamus veram situationem harum ecclesiarum dissidentium, quas Jesus Christus ut ad se aducamus nos invitat. Nobis lucidius erit quod assidui conatus caritatis et zeli sint necessarii ut mentes illuminentur et participant vero gaudio filiorum Dei.

### **III. Pars: De aliis ritibus et ecclesiis orientalibus.**

Extra byzantinum sunt alii quinque ritus pure orientales, videlicet armeniacus, syriacus, chaldaicus, maroniticus et copticus. Breviter loquemur de his ritibus et de ecclesiis quae hos sequuntur.

Ritus armeniacus est specialis populo armenico et utitur lingua armeniaca antiqua. Confectus a saeculo V., praecipue cum elementis antiochenis, multa varia habet opera liturgica, sed non tot quot byzantinus. Hodie illum sequuntur dissidentes, qui se vocant gregorianos, ob sanctum Gregorium Illuminatorem, magnum apostolum hujus gentis, licet ille esset in communione cum Apostolica Sede, et catholici. Primi possident tres catholicatus, scilicet patriarchatus, Ecimiadzinensem in Transcaucasia, Sissensem seu Cilicum et Aghtamarensem in Turcia (hi duo non extant hodie nisi in exilio) et duos patriar-

chatus, Constantinopolitanum, hodie vacantem fuga titularii, et Hierosolymitanum, minimae amplitudinis. In Turcia, ubi erant ante bellum fere 2,000.000, gregoriani passi sunt duras persecutio-nes et pluries centum millia eorum perierunt; hodie non numerantur in hac regione plus quam 150.000. Alii fugerunt in di-versas regiones Europae et Asiae et usque in Americam, ubi numerosas habent colonias. Summatim armenii dissidentes sunt fere 3,000.000, quorum maxima pars in Transcaucasia.

Catholici possident patriarchatum Cilicum, cuius sedes est Constantinopoli; a multis annis patriarcha incolit Romae. Plerique fideles, dure vexati a Turcis durante bello, fugerunt in alias regiones. Inveniuntur fere ubique terrarum et eorum hierarchia pene disrupta est. Hodie sunt circiter 100.000, connu-meratis fidelibus archiepiscopatus Leopoliensis et aliis multis, qui in diversis regionibus ordinariis ritus latini subduntur.

Ritus syriacus est antiquus ritus antiochenus, mutatus per saecula, et utitur lingua syriaca antiqua. Servatur a dissiden-tibus monophysitis Syriae et Mesopotamiae, qui dicuntur jaco-bitae, ob praecipuum illorum fundatorem, et ab aliis qui a saeculo XVII. reversi sunt ad unitatem romanam. Primi habent patriarchatum Antiochensem et sunt circa 80.000; secundi ha-bent etiam patriarchatum Antiochensem et numerantur circa 45.000.

Ritus chaldaicus est emendatio praecedentis et utitur lin-gua chaldaica, quae non multo differt a syriaca. Ejus assecta-tores sunt alii nestoriani, cum patriarcha Kocianensi et nume-rantur circa 80.000; alii vero catholici, numero 60.000, cum patriarchatu Babylonensi. Olim missionarii nestoriani evangeli-zaverunt multas regiones Asiae. Hodie in littore malabarensi, in Britanicis Indiis, inveniuntur 450.000 catholicorum, pro quibus Pius Papa XI, creavit provinciam ecclesiasticam Ernaculamen-sim, anno 1923, et 350.000 dissidentum; alii sunt subditi a longe patriarchae jacobitae Antiochensi, alii vero sub episcopo indi-gena, alii tandem, semper numerosiores, amplectunt prote-stantismum.

Ritus maroniticus est deformatio ritus antiocheni imita-tione ritus latini. Illum sequuntur Maronitae, scilicet Syrii montis Libani et aliarum regionum, qui de monothelismo re-versi sunt ad veritatem catholicam saeculo duodecimo. Utitur linguis syriaca et arabica. Maronitae habent patriarcham An-tiochensem et sunt fere 350.000. Durante bello, multi a Turcis trucidati sunt.

Tandem ritus copticus est antiquus ritus alexandrinus, qui servatus est cum mutationibus apud monophysitas Aegypti et qui per eos penetravit in Aethiopiam, ubi alias passus est muta-tiones. Utitur duabus linguis: coptica seu aegyptiaca in Aegypto et gheezica (hodie mortua) in Aethiopia. Copti dissidentes nu-merantur 800.000, cum patriarcha Alexandrino et duodecim epi-

scopis, Aethiopes vero 4,000.000 cum uno tantum ecclesiastico principe, abuna vocato, qui mittitur a patriarcha copto alexandrino. 25.000 catholicorum coptorum possident patriarchatum Alexandrinum, jam a 17 annis vacantem, et 20.000 catholicorum aethiopum subjiciuntur ordinariis latinis.

Faveatis, precor, indulgere mihi ob tam arduam expositionem, sed spero illam vobis descripsisse quam multiplex sit quaestio rituum et ecclesiarum orientalium, cum populis tam diversis lingua, moribus, traditionibus et doctrinis. Diximus aliquot ex illorum assetatoribus (plus quam 7,500.000) adhaesisse Romanae ecclesiae. Sollicitudo Romanorum Pontificum instituit, paucis ante annis, Congregationem pro ecclesia orientali ad reconciliationem omnium orientalium christianorum. Regressui dissidentium assidue laboremus ut tandem efficiatur desiderium Salvatoris: »Et fiet unum ovile et unus pastor.«

**Vota:** 1. Dentur in seminariis et theologicis facultatibus ampliores notiones de ritu, doctrina et historia ecclesiarum orientalium dissidentium.

2. Edantur pro populo, praesertim pro excultioribus laicis, breves notitiae de ritibus et de ecclesiis orientalibus, ut melius cognoscantur.

## DE CULTU SS. EUCHARISTIAE IN ORIENTE.

*P. Severinus Salaville O. S. Aug. ab Assumpt. — Constantinopolis.*

»O Sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis!«

S. Augustin., Tract. 26 in Joann.

### I. Concordia doctrinae ac pietatis ante et post schisma brevi conspectu exhibetur.

Eucharistia est Sacramentum unitatis, non solum quia est Sacramentum unitivum in corpore Christi (»Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus«, I. Cor. X, 12), sed etiam propter praestantissimam hanc de re doctrinae atque pietatis concordiam inter orientalem occidentalemque ecclesiam.

#### 1. Concordia doctrinae.

Perfectam hanc de re eucharistica doctrinae concordiam ante schisma extitisse hic demonstrare operae pretium non est, quippe quod omni exceptione majus argumentum sit.

Quod vero ad tempora schismate consummato posteriora attinet, res fuit luculenter elucidata a praeclaris scriptoribus

operis cui titulus »La perpétuité de la foi de l'Église catholique touchant l'Eucharistie« (Paris, 1669-1711), t. I, lib. II-IV; t. II, l. VIII; t. III, l. II-X; t. IV, 1. Partie, l. I-III; 2. Partie, l. I-III, in quo disertissima referuntur orientalium theologorum synodorumque testimonia. Ex quibus evidenter patet omnes Orientis orthodoxi scriptores, sive singulatim consultos, sive collectim in conciliis doctrinam professos, inconcussam semper de transsubstantiatione et reali praesentia fidem exhibuisse, uno tantum excepto Cyrillo Lucari qui protestantibus plus aequo indulxit, adversus quem vero firmiter stat ceterorum omnium universalitas.<sup>1</sup>

Pauca solummodo exscribam, propter firmissimam assertionis formam simul cum expressione ecclesiasticae unitatis, ex epistola qua Marcus Donus Cretensis, anno 1672, respondebat quaestionibus a Joanne Claudio, reformatae Parisiensis ecclesiae pastori, positis. »Cum ad me delati fuissent articuli quidam descripti, ut fertur, ex latere Dominationis tuae Illustrissimae, in quibus quaeritur quid sancta mater nostra orientalis ecclesia sentiat de transubstantiatione panis et vini in Sacramento Eucharistiae, operae pretium duxi ejus sententiam patefacere et quibus nititur fundamentis describere, ut qui eadem profitentur credere quae ipsa sancta mater ecclesia, ad illius unitatem advolent et concordiam. Notum sit itaque tibi, praestantissime vir, quod totus Oriens consentientem habens et Occidentem credit semper et credit a primis ecclesiae incunabulis: panem et vinum vere et physice transsubstantiari in corpus et sanguinem Christi, deposita prima substantia, et hanc transsubstantiatio-

<sup>1</sup> Praeter opus »La perpétuité de la foi...« utilissime de hoc arguento consuli possunt: Acta et scripta theologorum Wirtembergensium et patriarchae Constantinopolitani D. Hieremiae quae utrique ab anno 1576 usque ad annum 1581 de Augustana Confessione inter se miserunt, grecce et latine ab iisdem theologis edita, Witeberge, 1584; vel etiam Acta orientalis ecclesiae contra Lutheri haeresim monumentis, notis ac dissertationibus illustrata, opera ac studio Emmanuelis a Schelstrate (Romae, 1739), part. I, p. XI-XV, et pp. 729-734, ubi testimonia de transubstantiatione citantur sub hoc titulo: »Sensus schismatica Graecorum ecclesiae.« — Synodorum Acta, praesertim pro ineunda concordia Anglicanos inter et orthodoxos orientales, recenter ab Illmo D. Ludovico Petit, A. A., Archiepiscopo Athenarum, edita reperties in Amplissima Collectione Conciliorum Mansiana, t. XXXVII (Parisiis, 1905), col. 369-624, etc. Caeterum viro cuique de theologia orientali curam habenti praesto est unum alterumve Symbolicum Enchiridion in quo praecipua hujus rei documenta inveniantur (Kimmel, Gass, Mesolora, Michalcescu. Hujus ultimi auctoris opus, Die Bekennnisse der griechisch-orientalischen Kirche, Leipzig, 1904, hi loci praecipue consultantur: pp. 72, 123, 141, 156-157). Cf. etiam Steitz, Die Abendmahlslehre der griechischen Kirche in ihrer geschichtlichen Entwicklung. Schluß (Jahrb. f. d. Theologie, t. XIII, 1868, p. 649-700). Lucidum totius rei conspectum exhibuit M. Jugie, Le mot transubstantiation chez les Grecs avant et après 1629, in periodicis commentariis Echos d'Orient, t. X, 1907, pp. 5-12, 65-77.

nem esse inter articulos fidei necessarios, adeo ut nemini liceat hanc ignorare aut in dubium revocare aut penitus rejicere...»<sup>2</sup>

Plurima profecto et pene innumera congeri possent hujusmodi testimonia. Satis sit, ad confirmandum generali quadam observatione demonstrativum illorum valorem, ea verba referre, quae in sua praefatione ad Gabrieli Severi, metropolitae Philadelphiensis, opuscula scribebat Richardus Simon: »Certissimam negotii istius fidem facit celeberrimus Graecorum antistes, idemque metropolita Philadelphiensis, Gabriel cognomento Severus. Ille si quidem in *Apologia* quam, ut ecclesiam suam Latinorum quorundam male feriotorum calumniis velut oppressam in libertatem assereret, conscripsit, nomen μετονομάσεως seu transsubstantiationis non semel adhibet ita, ut in opusculis illius... vox illa saltem vigesies occurrat. Neque istud in Latinorum scholis, quas frequentavit, refundi debet quasi vocabulo cuius vis et natura nondum sibi omnino comperta esset, usus fuerit: rem enim ipsam nude et absque ambagibus passim explicat. His accedit Gabrielem non esse ex eorum numero quos Papolatras et aurae curiae Romanae captatores Claudio (Calvinianus) appellat... Quamobrem si idem Gabriel cum Latinis per omnia consentiens horum fidem de rebus eucharisticis amplectitur, non alia ratione ad id adductus fuit quam ea quae in notis declarata est, nimirum perfectam ecclesiae suae cum Latina in argumento Eucharistiae concordiam sentiens, hujus locutiones, quae rem scilicet magis apertam facerent, absque ulla religione usurpavit. Itaque sicut cum Claudio Graecos duplicitis generis haud invite agnoscimus, quorum alii in fidem Romanam juraverint, alii vero ab ea penitus aversi in eam saepius impetum faciant, qui schismaticorum nomen a Latinis reportarunt; ita ipse nobiscum Graecos secundi generis in duplice classe minime reluctans debet statuere, quorum prima eos complectitur qui Latinorum limina non frequentarunt, altera vero eorum est qui res theologicas secundum Latinorum artem callent, quam ex ore magistrorum vel ex libris hauserunt. His tam nomen quam res ipsa transsubstantiationis cognita est; illis vero, etsi nomen transsubstantiationis apud ipsos in usum minime cesserit, res ipsa plene et cumulate persuasa est... Optime moderationi consentaneum fuerit, ut orientalium fidem de rebus eucharisticis... perfecte et in omnibus cum Latina conspirare minime reluctantantes agnoscamus.»<sup>3</sup>

<sup>2</sup> Citatur in opere »La prépétuité de la foi«, t. II (1672), ed. Migne, Paris, 1841, t. II, col. 1188, et apud Schelstrate, op. cit., p. 641.

<sup>3</sup> *Fides ecclesiae Orientalis seu Gabrielis Metropolitae Philadelphiensis Opuscula nunc primo de Graecis conversa, cum notis uberioribus, quibus nationum orientalium persuasio, maxime de rebus eucharisticis, ex libris praesertim manuscriptis vel nondum Latino donatis illustratur... opera et studio Richardi Simonis. Parisiis 1671, Praefatio passim. Cf. Histoire critique de la créance et des coutumes des nations du Levant publiée par le Sr De Moni (= Richard Simon). Francofurti 1693, pp. 37—64 et 199—216.*

Nec dicatur perfectae huic doctrinali de re eucharistica concordiae obstare famosam illam' de epiclesi seu de invocatione Spiritus sancti opinionem, qua scilicet orientales panis et vini conversionem in Christi corpus et sanguinem precationi sacerdotis quae verbis ‚Hoc est corpus meum etc.' subjicitur, tribuunt. Quod enim vel ipsa haec de epiclesi quaestio, recte quidem intellecta, conciliationi inter utramque ecclesiam aptissime ansam praebeat, sat perspicuum argumentum est ista lucidissima ejusdem Gabrielis Philadelphiensis assertio: »Formam vero [Eucharistiae] primo quidem (προηγουμένως μέν, i. e. antecedenter) constituunt verba Dominica, nimirum: ‚Accipite, manducate, hoc est corpus meum. Et bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus, sanguis novi testamenti, qui pro vobis et multis effunditur in remissionem peccatorum.' Consequenter vero (συνεπόμενα ἔχον) se habent et illa verba quae deinceps sacerdos profert sicut in divina Liturgia exstant.«<sup>4</sup>

Ad quam de epiclesi conciliationem facile conferunt per multa byzantinorum scriptorum testimonia qui vel ante vel post schisma vixerunt, quorumque omnium sententiam in verbis istis Joannis Salaïtae (VII. saec.), Germani Constantinopolitani ac Simeonis Thessalonicensis expressam videre fas est. Joannes Salaïta nimirum: »... ipse igitur Dei sermo vivus et efficax atque sua virtute nihil non efficiens, per divinum et sacrosanctum sermonem, ac Spiritus Sancti adventum et oblationis partem et vinum corpus suum ac sanguinem efficit atque immutat, et iis a quibus cupido animo percipitur sanctitatem et lucem affert...«<sup>5</sup>

Germanus autem Constantinopolitanus: »... Ipse dixit: Hoc est corpus meum, Hic sanguis meus. Ipse et apostolis iussit, et per illos universae ecclesiae, hoc facere: Hoc (enim ait) facite in meam commemorationem. Non sane id facere iussisset, nisi vim inditus fuisse ut id facere liceret. Et quae est virtus? Spiritus Sanctus; virtus quae est ex alto... Hoc est opus ipsius descensus... Hic per manum sacerdotum et linguam mysteria conficit.«<sup>6</sup>

Ipse vero Simeon Thessalonicensis: »... Igitur missae fundamentum Domini verba sunt. Quare operans non est homo, inquantum homo est sacerdos, sed Christus in Spiritu Sancto per ministerium sacerdotum... Atque ita ipse (Christus), qui precibus opus non habet utpote Deus

<sup>4</sup> Id. p. 62 s.; cf. pp. 143—145.

<sup>5</sup> Joann. Salait., Vit. Barlaam et Joasaph, inter Opp. Joann. Damascen., P. G., t. XCVI, col. 1031—1032 A: Αὐτὸς οὖν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ὁ ἡδῶν καὶ ἐνεργῆς καὶ πάντα ποιῶν τῇ δινάμει αὐτοῦ, ποιεῖ καὶ μετακεντήσει διὰ τῆς θελας ἀνεργίας τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον τῆς προσφορᾶς σῶμα αὐτοῦ καὶ αἷμα, τῇ ἀπεριτήσει τοῦ ἄρτου πνεύματος, εἰς ἀγαλαῖον καὶ φωτισμὸν τῶν πάθη μεταλαμβανόντων.

<sup>6</sup> S. German. Constantinop., *Mystica contempl.*, P. G., t. XCVIII, col. 433—434.

omnipotens, per preces sacra instituit, demonstrans quod una virtus est Trinitatis et quod ipse in sacra operatione Patrem in Spiritum Sanctum cooperatores habet, quod etiam in divina Incarnatione apparuit.<sup>7</sup>

Ita ut cum clarissimo Hoppe<sup>8</sup> concludere possimus epiclesim, nedum divisionis inter orientales et occidentales causa sit, unionis potius causam esse debere, cum utrosque ad invicem conjungat in catholica traditione a Patribus Liturgiisque expressa, lucideque constet epicletica testimonia maximi fuisse et esse momenti ad demonstrandam adversus protestantes catholicam de transsubstantiatione necnon de sacrificio doctrinam.<sup>9</sup>

## 2. Concordia pietatis.

Consequenter ad praedictam de transsubstantiatione doctrinam, perfecta etiam concordia existit inter utramque ecclesiam de cultu Eucharistiae tribuendo, licet modus quandoque diversus sit diversaque item manifestatio. De missae autem sacrificio doctrinalis et liturgica simul concordia adest, cum magnificentissima tamen rituum varietate, quorum interpretatio pulcherrimis occasionem praebuit liturgicis orientalium scriptorum commentariis, etiam post schisma compositis, ad fovendam pietatem apprime accommodatis.<sup>10</sup>

Ut autem generali huic assertioni aliqua in specie addantur, liceat historica quaedam facta in memoriam revocare, nempe: in ecclesia byzantina ante et post schisma haud ignorantem esse frequentem vel etiam quotidianam communionem; imo exeunte saeculo decimo octavo orienteque decimo nono acerimam de frequenti communione inter Athonitas monachos agi-

<sup>7</sup> Sim. Thess., De templo, n. 88, P. G., t. CLV, col. 737—738 BC

<sup>8</sup> L.-A. Hoppe, Die Epiklesis der griechischen und orientalischen Liturgien und der römische Konsekrationsskanon (Schaffhausen 1864, p. 334). Haud abs re erit hic quaedam de S. Thoma Aqu. breviter notare. Angelicus enim, postquam S. Joannis Damasceni verba recitavit dicentis sola virtute Spiritus Sancti fieri conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, subdit hac doctrina non excludi virtutem instrumentalem quae est in praemissis Christi verbis (in IV Sent., I. IV, dist. 8, q. 2, a. 3, ad 1), neque excludi communem trium divinarum personarum actionem, cum transsubstantatio sit appropriata Filio tanquam causae operanti, Spiritui Sancto autem tanquam virtuti per quam fit operatio. Cf. S. theol., III, q. 78, art. 4.

<sup>9</sup> »Verba haec (epicleseos scilicet) detorquere ad effectus Eucharistiae in nobis postulandos, ecclesiam luculentissimo, antiquissimo et constans transsubstantiationis testimonio privare est,« scribebat jure ac merito doctissimus Tottée, De doctrina S. Cyrilli Hierosol., diss. III, c. XII, P. G., t. XXXIII, col. CCXXXVIII. — I. Marković, O Euharistiji s osobitim obzirom na Epiklezu, Zagreb 1894.

<sup>10</sup> De cultu Eucharistiae tribuendo quid doceant orientales, vides apud de Moni (= Richard Simon), Histoire critique de la créance et des coutumes des nations du Levant, Francofurti, 1693, p. 64—68; apud autores operis La perpetuité de la foi catholique touchant l'Eucharistie (Paris, 1669), passim; apud Gabrielem Severum Philadelphiensem, Opuscula edita a Richardo Simone (Paris, 1671), p. 1—22 et passim; etc.

tatam fuisse controversiam, ad quam auctoritative dirimendam oecumenici patriarchae synodusque Constantinopolitana decreta de hac re ediderunt.

a) Ante schisma.

Septimo saeculo, inter opera S. Anastasii Sinaitae quaestio ista legitur: »An expeditat communicare quotidie, an ex intervallo, an tantum diebus dominicis.« Celebris autem ille asceticus doctor responsonem facit brevissimam quidem sed valde perspicuam quae ut authenticum istius temporis religiosae vitae pietatisque testimonium considerari potest: »Haec quaestio variam habet responsonem. Sunt enim quibus quotidiana communio convenit, sunt alii quibus non convenit, et sunt alii quibus communio penitus non convenit.«<sup>11</sup>

Eamdem fere responsonem S. Theodorus Studita (saeculo IX.) mittit ad spathariam quamdam nomine Machara: »Cur tu, o veneranda, a me exigis ut de divina communione loquar, et cur tu jam a tot annis raro ea uteris; etenim hoc sine aliqua causa fieri non debet. Quippe neque raro neque quotidie, sed cum pura conscientia participandum est. Nam qui indigne, inquit Scriptura, manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Igitur si hac ratione conscientiam tuam perscrutans et reverenter te gerens, procrastinaris, bene est, sive id brevi sive longiori tempore fiat, nullusque alias huic rei terminus assignari potest quam cum puro, quatenus homini possibile est, corde accessus.«<sup>12</sup>

Idem vero S. Theodorus de se ipso testatur quotidianam communionem, quam ex orientalium lectione et usu, inquit, didicerat, suam praecipuam in exilio consolationem fuisse; insuper se quotidie, inquantum possibile sit, celebrare, duranteque exilio potius quam sacra liturgia privari, deficiente aureo vel argenteo calice, se in vitreo calice pretiosum sanguinem consecrare: »Una mihi consolatio superest, quam et tibi exponam necesse est, mi Pater: quod nempe didicerim, ex lectione et usu orientalium, oportere eos qui vitam in secessum agunt, singulis diebus, si quidem fieri possit, participare divinam communionem. Hunc morem servavi, qui misero mihi opem attutit, revocata cogitatione a vitiosis animi motibus propter doni praestantiam quae metum incutit. Num quid majus sive ad laetitiam sive ad collustrationem animi esse

<sup>11</sup> S. Anastas. Sinait., Quaestiones, C., P. G., t. LXXXIX, col. 753 C. Cf. etiam aliud ejusdem VII. saeculi opus, Narrationes Anastasii, n° 50, in editione a F. Nau paratâ, Le texte grec de récits utiles à l'âme d'Anastase le Sinaïte, in periodicis commentariis »Oriens christianus», 1903, p. 70, ubi agitur de mago quodam cyprio morte damnato, qui declarat nihil unquam sua beneficia philtira valuisse in hominem christianum quotidie communificantem: οὐδέποτε Ἰσχυραν αἱ φρικανταὶ μηδεὶς ἀνθρώπους κοινωνοῦντα καθ' ἡμέραν.

<sup>12</sup> S. Theodor. Studit., Epist. I. II, 220, P. G., t. XCIX, col. 1668 C.

omnino potest divina communione. In calicem autem vitreum peculiarem vino defuso, ac solemini precatione peracta, quamquam indignus doni compos fio. Indica mihi rectne agam an secus.<sup>13</sup>

Quin etiam, teste semper Theodoro Studita, ipsi laici (monachus, monialis, vel saecularis), deficiente orthodoxo sacerdote aut diacono, seipso communicandi licentia fruuntur, utendo tamen aliquo speciali typico seu caeremoniali quod revera »caeremoniale communionis privatae sub unica specie« dici potest:<sup>14</sup> ita quidem ut, licet multis praevericantibus sanctuarii ministris, facultas semper populo fideli remaneat eucharisticae suae devotioni satis faciendi.

Ex quibus omnibus patet ante schisma frequentem, et etiam quotidiam, communionem in Oriente byzantino haud ignotam fuisse, itemque quotidiam sacrificii celebrationem; quin imo tempore iconoclastarum, eucharisticam devotionem fuisse vel ipsa persecutione in animis piorum fidelium maxime fotam.

### b) Post schisma.

Post schisma autem, sensus idem eucharisticus in ascetica doctrina perstat, quamvis quidam ut ita dicam rigorismus sensim sine sensu in praxim subrepserit. Audiatur v. g. Simeon Thessalonensis sic omnium coetaneorum persona loquens de eo quod tremendis mysteriis communicare assidue (*οὐρεγῶς*) omnes oportet, quae res est salutaris imprimis: »Inde etiam ista nobis tradidit mysteria, ut unum simus cum eo, ut pontifices quidem et sacerdotes assidue in diligentia contritoque corde ac confessione ministrantes tremendis communicemus mysteriis, caeteri vero et ipsi assidue in confessione contritaque et devota mente communione fruantur. Itaque nemo ex eis qui timent Dominum eumque diligunt, quadragesimam transgrediat, sed quantum poterit ad communionem Christi proprius accedit, vel in singulis dominicis si possit, in primis senes et infirmi, quoniam ibi est vita et fortitudo nostra...«<sup>15</sup>

Orientalium christifidelium animas quasi intimo quodam instinctu frequentem communionem sitire, testes sunt illae asceticae simul et canonicae quaestiones quae in tot patristicae byzantinaeque periodi scriptis videre fas est. Testis est etiam

<sup>13</sup> Id., I, I, 57 (Platoni Patri suo), col. 1116 A B: Ἐν ποτηρίῳ δὲ οὐαῖνῳ ἀφορισμένῳ προβαλών οἶνον καὶ εὐδάμανος τὰ συνήθη μετέχω δὲ ἀνάξιος τοῦ δώρου. Καὶ ὅμλωσάν με, εἰ καλῶς ποιῶ θέω.

<sup>14</sup> Id., I, II, 219, col. 1661 B.

<sup>15</sup> Sim. Thess., De fine et exitu nostro et de ordine sepulturae, P. G., t. CLV, col. 672 C D. Notentur, quaequo, verba Μή.. παρεγένθω τὰς τεσσαράκοντα quae mox athoniticae de frequenti communione controversiae occasionem praebitura sunt.

celebris illa acerrimaque controversia, quae exeunte saeculo XVIII<sup>o</sup> inter monachos montis Atho agitari coepit: utrum nempe inter unam corporis Christi participationem et alteram intercedat necesse sit quadraginta dierum intervallum, an saepius ad sacram mensam accedere fas sit. Res componere aggressus est primum Theodosius II. patriarcha, sententiam edendo (a. 1772, m. julio): »Quod vero ad frequentiorem vel rariorem sacrosanctorum mysteriorum participationem, dicimus: tempus quidem non esse determinatum, necessariam autem omnino praeparationem per sacram poenitentiam et confessionem.«<sup>16</sup> Sed infelici sane conatu. Nam, nedum sedarentur, magis ac magis inarserunt animi, ita ut repetita vice Gregorius V. patriarcha ecclesiae doctrinam declarare cogeretur, a. 1807 mense augusto, a. 1819 mense item augusto. Pergratum profecto nobis est in his documentis, una cum desiderio frequentis communionis, simul et intimum cum frequenti confessione nexum comperire: quod quidem in praxi duplex habituale vitae supernaturalis principium est. Aliis enim inter monachos continenter (*συνεχῶς*) et absque praevia confessione communionem suscipiendam esse contendibus, aliis vero cum intermissione, sic suam patriarcha declarat sententiam: »... De divina et sacra communione certi estote ac scitote quod utique pii fideles deberent (*χρέος ἔχοντες*) in unaquaque sacra mystagogia accedere et vivifico corpori communicare, quapropter et invitantur a sacerdote dicente: »Cum timore Dei, fide et caritate accedite«; verumtamen propter hominis inconstantiam atque incapacitatem (*ἀνίκανον*) ad quotidianam communionem, distulit ecclesia praecepsitque ut accedat unusquisque ad sacram mensam quando spirituali patri confessus seipsum invenerit sacra communione dignum licentiamque a spirituali suo patre acceperit... Ad quod neque prae-determinatio dierum existit, neque quadraginta dies primum peragere oportet..., et quicumque vult atque tanquam sine criminе a suo spirituali patre licentiam accepit, illi vel singulis hebdomadibus communicare licet...«<sup>17</sup>

Quae quidem cum ita sint, cuncta catholica eucharisticae pietatis elementa in hodierna orthodoxa ecclesia perstare nemo est qui non videat, maxime si aliquam insuper notitiam habeat pulcherrimarum profecto precum quae in officio votivo ante et post communionem continentur.

Quid igitur desit? Nihil sane aliud nisi ut reviviscat in Oriente pietas illa eucharistica cum vivificis suis fructibus: quae quidem reviviscentia, cum universalem

<sup>16</sup> Mansi-Petit, Amplissima Conciliorum Collectio, t. XXXVIII, col. 937.

<sup>17</sup> Id., t. XL, col. 79—83; cf. etiam col. 39 C. — De quibusdam recentibus manifestationibus earundem ad frequentem communionem aspiracionum legi potest T. Donche in periodicis commentariis L'Union des Eglises, jun. 1925.

quandam christiana e vita efficacitatem prae se ferat, inter praecipuos unionistici conatus fines ponenda videtur.

## II. Florilegium eucharisticarum commentationum Nicolai Cabasilae, praclarum speciem pietatis eucharisticae.

Ut autem haec demonstratio perspectior omnibus fiat, exempli instar afferre mihi liceat florilegium quoddam eucharisticarum commentationum praeclari illius byzantini theologi, qui tribus post consummatum schisma elapsis saeculis floruit, Nicolai Cabasilae († c. 1370): quibus commentationibus tam catholicica enitet devotio eucharistica, ut vel ipsa principia devotionis erga SS. Cor Jesu in eis invenire sit.

Ecclesiarum dissidentium theologi devotioni erga Sacratissimum Cor Jesu libenter novitatis notam inurunt. Haud raro sacerdotes etiam catholici orientalis ritus ancipites sunt, ne »latinizationis« insimulentur, num hanc devotionem inducant fidelibusque commendent, Hos et illos perutile est admonere ecclesiam orientalem, non solum apud anticos Patres, sed etiam apud praeclarissimos subpatristicae, imo et postschismatica epochae theologos, necnon et in quotidiana liturgiae thesauris, praedictae devotionis omnia essentialia principia possidere.

Nicolaum Cabasilam consulamus, praclarum decimi quarti saeculi theologum, de quo prius haec tria notare juvat, quae hujus viri doctrinis mox exponendis pondus quoddam adjicient: 1º In lite Hesychistarum, quae aliquam cum occidentalii Quietismo similitudinem habet, Nicolaus Cabasilas Gregorii Palmae, Hesychistarum principis, et monachorum Athonici montis partes tenuit; 2º in theologicis disputationibus cum Latinis, quacum ardebant, Nicolaus, etsi minus vehementer quam suus avunculus Nilus Cabasilas, se Latinis infensum protulit, in quaestione praesertim epicleseos seu formulae consecrationis eucharisticae; 3º demum praeter suas cum Latinis atque cum Anti-Palamitis controversias, Nicolaus Cabasilas opera conscripsit vere piissima omniique consideratione digna.<sup>18</sup>

Si capita XXVII—XXX excipis, in quibus theoriā de epiclesi exponit (in qua caeterum theoria, sit istud obiter dictum, multa conciliationis cum catholicā doctrina principia inveniri possunt), Sacrae Liturgiae interpretatione non solum omnis criminis est innoxia, sed etiam pietatis et doctrinae referta. »Il y a peu de traités de ce genre où l'on découvre

<sup>18</sup> Nicolaus Cabasilas, quem diu Thessalonicensium archiepiscopum putarunt, nunquam hunc titulum habuisse sedemve hanc occupasse videtur: qui error ex nominis confusione provenit cum Nilo Calasila ejus avunculo, qui anno 1361 obiit, episcopus Thessalonicensium electus, et non consecratus. Cf. L. Petit, Le synodicon de Thessalonique, in periodicis commentariis Echos d'Orient, t. XVIII (mai 1918), p. 248—249.

plus de lumières sur les mystères et plus de science ecclésiastique», aiunt auctores operis cui titulus *La perpétuité de la foi catholique touchant l'Eucharistie*.<sup>19</sup> Quae quidem existimatio fuit omnium qui cum scriptis Nicolai Cabasilae commercium habuerunt. Primus editor operis Sacrae Liturgiae interpretatio, anno 1548, Gentianus Hervetus, doctor Sorbonicus, postquam ejus opinionem de epiclesi repulisset, haec addebat: »Caetera autem quae sunt in hoc libello sunt ejusmodi ut nihil magis pium nec magis christianum dici aut singi possit. Ea itaque, studiose lector, fac legas et aequi bonique consulas.«<sup>20</sup>

Mirum sane encomium, quod tamen merito debitum puto hancque in meam sententiam omnes intrent velim, praesertim si agitur de *Vita in Christo*, Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς, cujus idea generalis maximam profecto similitudinem habet cum catholicā nostra erga sacratissimum Cor Jesu devotione, cujus principia exhibet essentialia. Jacobus Pontanus S. J., istius operis editor, anno 1604, fidenter de eo scribebat: »Opusculum sane doctum ac pium, et ad animas Dei amore inflammandas mire appositum.«<sup>21</sup> Quod infra patebit.

A brevi totius materiae conspectu incipio, ut postea utilius eas, ad quas haec dissertatio spectat, considerationes aggrediar.

Opus exordiens Nicolaus statuit »vitam in Christo absconditam« seu vitam gratiae in sacramentis Baptismi, Confirmacionis et Eucharistiae positam esse. Quanta sit auctoris ratio theologica vel ex hac ejus prima propositione, bone lector, compries, quae statim in doctrinae limine te sistet: »Vita quam in Christo traducimus, in hoc saeculo enascitur illa quidem et hic inchoatur, verum in futuro perficitur absolviturque, cum nimirum ad illum extremum diem pervenerimus.«<sup>22</sup>

Libri II—IV de tribus praedictis Sacramentis tractant. Quintus autem, velut priorum appendix, agit de altari ejusque symbolismo. Sextus vero officia christiana vitae exponit, quorum diligens adimpletio effectus erit gratiae in Sacramentis acceptae. Septimus demum sinceri christiani typum depingit cui, per Sacraenta divinae vitae initiato, una tristitia peccatum, unumque gaudium virtus erit.

<sup>19</sup> La perpétuité..., I. III, c. VIII, Paris, 1669, p. 449. Bossuetius item sententiam de Nicolae Calasila ferendam optime contraxit, cum eum vocat un de plus solides théologiens de l'Église grecque depuis trois à quatre cents ans, et au reste grand ennemi des Latins (*Explication de quelques difficultés sur les prières de la messe à un nouveau catholique*, XXIX, in fin., Paris, 1710, p. 55).

<sup>20</sup> Gentian. Hervet., Venetiis, 1548; Migne, P. G., t. CL, col. 367—368.

<sup>21</sup> Jac. Pontanus, Ingolstadt, 1604; Migne, ibid., col. 491—492.

<sup>22</sup> Ἡ ἐν Χριστῷ ζωὴ φύεται ἐν τῷ τῷ πίστῃ καὶ τὰς ἀρχὰς ἐντεῦθεν λαμβάνει, τελειοῦται δὲ ἐπὶ τοῦ μέλλοντος. P. G., t. CL, col. 493 B.

Hac brevi analysi jam totius expositionis dignitatem nobilitatemque praesentire potes. Titulo styloque opus »De vita in Christo« mentem revocat ad opera recentiora seu etiam hodierna, ut »Le Christ vie de l'âme« ab abbate Maredsolano Marmion scriptum, et »Le Coeur de Jésus et la divinisation du chrétien«, a P. Ramière S. J.: quae ultima expressio apprime aequivalet Cabasilae expressioni »vita in Christo« in paucis more paulino tam multis refertae.

Duo haec opera »Liturgiae expositio« et »De vita in Christo« diligenter perlegenti tibi erit multa invenire quibus complices istam christiani per Christum »divinisationem« esse cohaerentem, firmam, syntheticam Cabasilae doctrinam. Amplius ausim dixerimque apud hunc auctorem devotionis erga Cor Jesu objectum et rationem jugiter subjacentia apparere, imo ipsis verbis passim aliquatenus exprimi.

Dum orationum missae explicationem absolvit, quaerit Cabasila: »Qua ratione mysteria (eucharistica) significant ecclesiam?«<sup>23</sup> Ejus responsio digna esset quae in integrum citetur. En saltem affirmatio quam reliquum caput evolvit: »Significatur ecclesia in mysteriis, non tanquam in signis, sed tantum in corde membra (ὧς ἐν καρδίᾳ μέλη) et in arboris radice ramus et, sicut dixit Dominus, tanquam in vite palmites. Non enim est hic solum nominis communio, vel analogiae similitudo, sed res eadem.«<sup>24</sup> Hanc indentificationem Christi cum ecclesia, seu universitate fidelium, Eucharistia significatam et effectam Cabasilas similitudinibus hac in re assuetis explicat, cibi nempe in carnem transmutati, et ferri igniti; omniaque Pauli asserto concludit: *Vos autem estis corpus Christi et membra de membro* (I. Cor. XII, 27).

Doctrina illa mystici corporis Christi per Eucharistiam significati et effecti nostro quidem auctori non est specialis, sed in aliis etiam, et quidem magni nominis inventur: Cyrillum cogito Hierosolymitatum, et alterum Alexandrinum, et Joannem Chrysostomum, et Augustinum, ut minus illustres praeteream. Aliqua tamen conceptio apud Cabasilam sat frequens notanda: scilicet Christum in corpore mystico partes cordis habere. Ecclesia, corpus Christi mysticum, ait ipse, in mysteriis, significatur ώς ἐν καρδίᾳ μέλη, sicut in corde membra. Itaque Jesus Christus cor est illius corporis quod efformat ecclesia. Verum sententiam de Christo ecclesiae capite Cabasilas non rejicit: »Nos suum corpus facit, et nobis idem fit quod membris caput;«<sup>25</sup> . . . »quae capitum sunt nostra quoque sunt.«<sup>26</sup>

<sup>23</sup> Liturgiae Expositio, c. XXXVIII, P. G., t. CL, col. 452.

<sup>24</sup> Ibid. Σημαίνεται δὲ ἡ ἐκκλησία ἐν τοῖς μυστηρίοις, οὐχ ὡς ἐν συμβόλοις, ἀλλ' ὡς ἐν καρδίᾳ μέλη . . . Οὐ γάρ ἀνόματος ἐνταῦθα κοινωνία μόνον, ἡ ἀναλογία διαίσθηται, ἀλλὰ πράγματος ταυτίσης.

<sup>25</sup> De vita in Christo, I. I, t. CL, col. 520 A.

<sup>26</sup> Ibid., col. 520 B.

Hunc igitur utrumque conceptum cordis et capit is in Christum libenter congerit; libentius tamen cordis conceptum evolvit. En libro VI<sup>o</sup> De vita in Christo paeclara monita quae inde dedit: »Quapropter qui vitam in Christo traducere apud animum statuit, sequitur ut a corde et capite illo aptus sit atque dependeat; non enim aliunde vivimus. Quod quia non possunt qui non eadem volunt [eademque nolunt], ad Christi voluntatem nostra voluntas, quantum hominis captus est, assuefacienda et exercenda est, et vita instituenda ut eadem appetat iisdemque gaudeat. Pugnantia siquidem inter se desideria ex uno corde exoriri nequeunt. Et quemadmodum fidelibus in Palestina, propter consensionem voluntatum, erat cor unum et anima una: eodem modo, si quis una mente et sententia se Christo non conjunxerit, sed via paeceptis ejus contraria incesserit, cor suum cum eo non eodem dirigit, sed ab alio corde suspensum esse liquet. Etenim e diverso secundum cor suum invenit David, quia legem tuam, inquit, non sum oblitus. Quod si vita destituuntur qui a corde illo non pendent, et pendere non possunt qui non eadem volunt, ut vivere queamus, quo pacto eadem quae Christus amare iisdem cum ipso gaudere possimus, age videamus.«<sup>27</sup>

Huic cum Christo familiaritati et dependentiae a Christo corporis mystici corde auctor statim conjungit nimium quo diligit nos in Christo Deus amorem, et redamationem quam a nobis expostulat. Textus angere aut subtorquere mihi non videor, dum in his omnes essentiales illius ab hodiernis devotionis erga Cor Jesu nuncupatae discerno characteres. Audi potius et judica: »Cogitemus quis nobis cuncta isthaec largitur, quanta ejus pulchritudo, quam bonus, quomodo genus humanum dixerit, quam ingens etiamnum illius erga nos amor... Sicut enim amor humanus, si modum excedat et major sit quam ut capiatur, amantes de statu mentis dejicit: ita amor erga homines Deum exinanivit.<sup>28</sup> Haud enim in loco suo manens servum quem diligebat ad se vocavit, sed ipsem descendes quaequivit, et opulentus ad pauperis divisorium devenit,<sup>29</sup> accessit, amorem suum per semet indicavit, et redamari concupivit, contemptusque non recessit, et ad contumeliam non est indignatus, et injuriam passus foribus assedit, et quo amorem suum demonstraret nihil non egit, cruciamentaque pertulit et mortem denique obivit. Cum enim duo sint quae amantem produnt et de eo quodammodo triumphant, omnibus rebus quibus licet benefacere amato, et

<sup>27</sup> De vita in Christo, I. VI, col. 644 A et B.

<sup>28</sup> ... δι περι τοὺς ἀνθρώπους ἔρως τὸν θεὸν ἐξένωσε, Cf. Philipp. II 7, εἰστὸν ἐξένωσε. Cum hoc loco Cabasilae utiliter comparari potest S. Francisci Sal. Traité de l'amour de Dieu, I. X, c. XVII: »Comme Nostre Seigneur pratiqua tous les plus excellents actes de l'amour«, Oeuvres, éd. d'Annecy, t. V. 1894), p. 230.

<sup>29</sup> Cf. II. Cor. VIII, 9: propter vos egenus factus est, cum esset dives...

atrocia ejus causa perpeti, doloresque excipere si res postulet, posterius longe majus amicitiae indicium est quam prius. Deo autem ab omnium malorum sensu remoto cum pati non liceret, posset vero ut humanus homini benefacere, sustinere pro eo verbera, tolerare cruciatus nequaquam, et charitas esset infinita, nec signum ad eam declarandam suppeteret nec tamen ignorari oporteret quam vehementer amaret, sed summae charitatis documentum nobis dandum esset et supremus amor ostendendus: hujusmodi exinanitionem (*κένωσις*) machinatur, et molitur, et efficit, per quae dira pati et dolores sentire posset, et ita ex iis quae sustinuissest eximum amorem suum testatum reddens, ad se convertet eum qui quod se odio haberi crediderat, bonum illum Dominum fugiebat.<sup>30</sup>

Nonne haec verba sunt pium tenerumque commentarium evangelicae vocis: Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret (Joan. III, 16), cui vox Pauli respondebat: Dilexit me et tradidit semet ipsum pro me (Gal. II, 20), quaeque iterum duobus abhinc saeculis sonabat: Ecce Cor quod a deo homines dilexit!

Ipsum quidem cor Christi Cabasillas directe non considerat. At directe contemplatur ejus amorem et excessum amoris in passione et in Eucharistia patentem a nobisque reciprocum amorem exigentem. Num aliud est vera erga Cor Jesu devotio?

Amplius. Apud byzantinum theologum alium etiam hujus devotionis animadvertere est characterem, considerationem scilicet vulnerum Christi, et speciatim plagae a lancea militis effectae. In hac autem auctor noster libenter immoratur, atque in Christo glorificato manentia vulnera peramanter contemplatur.

»Quod autem omnium maxime novum est, non solum crudelissima passus, et ex plagiis ac vulneribus mortuus est, sed etiam redivivus et corpore incorrupto excitato vulnerum horum vestigia adhuc servat, et ea in corpore suo portans, cum iisdem ab angelis conspicitur, eaque sibi ornamento dicit et laetatur cum se immania pro nobis passum hac ratione ostendit. Et alia quidem quaecumque sunt corporis hujus abjecit . . . , notas vulnerum nequaquam abjecit, nec ipsa prorsus extrivit, sed propter amorem erga hominem ea sibi amanda et retinenda existimavit, quia per haec perditum invenit, et vulneratus cepit quem amabat. Alia enim de causa adhuc constare vulnerum monimenta in corpore immortali quomodo consentaneum fuisse, cum ea aliquando in mortalibus et interitui subjectis ars et natura obducant atque deleant? Verum, ut appareat, pro nobis saepius excruciarie cupiebat: quod quia non poterat, quod corpus ejus corruptionem semel effugisset, et simul percussuris se hominibus parcere vo-

<sup>30</sup> Col. 644—645.

lens, saltem notas suae necis in corpore servandas, et vestigia vulnerum quae semel cruci affixus accepisset perpetuis saeculis gestandas censuit: ut pateret omnibus, pro servis crucifixum, et lancea latus sibi eminus apertum esse (*καὶ τὴν πλευρὰν ἐνίσχυ*) et cum splendore ineffabili etiam haec regem condecorarent. Quid cum hoc amore comparabimus? quis similiter aliquando dilexit homo? quae mater tam tenere et ardenter ex se genitos, quis pater adeo complexus est filios? aut quis tandem quodcumque bonum tam insano amore est prosecutus, ut propterea quod diligebat, id aequo animo non sustineret solum et amorem suum erga ingratum non mutaret, sed ipsa quoque vulnera maximi faceret? .... Nondum attuli quod majus est. Non tantum horum tenus cum servis est Dominus quaeque eorum sunt participat, neque manum dumtaxat, sed seipsum nobis quantus dedit. Quocirca templum sumus Dei viventis.<sup>31</sup>

Statimque habes auctoris de Christo corde et capite doctrinam summatim his verbis expressam: »Templum sumus Dei viventis, et membra haec membra Christi sunt. Membrorum istorum caput Cherubim adorant. Hi pedes, hae manus a b illo corde reguntur a c p e n d e n t.«<sup>32</sup> Inde facile deducit pius scriptor huic templo, his membris quae »tanquam phiala illius sanguinem continent (*καθάπτει φιάλη τὸ ἔκεινον φέγγουσιν αἷμα*) vel potius totum ipsum Salvatorem induta sunt«, huic corpori quod Christus arctius omni coniunctione naturali sibi devinxit, eximiam sanctitatem convenire.

Nunc quosdam locos adducam in quibus ad plagam lateris clare alluditur.

Dum tractat de rituum symbolismo in hostiae praeparatione, Cabasilas, sicut et ipsa Liturgia, ad passionem Salvatoris omnia refert. »Sacerdos ea videtur facere, quae de illo novit sacrificio, et verbis narrans et factis ostendens, quoad ejus fieri potest, ut in ea materia ostendatur, propemodum dicens: ita venit ad passionem Dominus, ita mortuus est, ita i n l a t e r e p u n c t u s e s t , ita a p u n c t o l a t e r e s a n g u i s et aqua tunc illa effusa est.«<sup>33</sup>

In libro Iº De Vita in Christo auctor modo generali exponit veram vitam a doloribus et morte Christi per sacramenta nobis impressis et in nostrum jus translatis nobis provenire. Haec inter vigilanter meminit illius plague lateris, quam simpliciter plaga m nuncupat. »Vulnera illa, et plaga m, et mortem ad nos trahimus, nobis vindicamus.«<sup>34</sup>

Liber IV. vero, qui de altaris Sacramento data opera tractat, absolvitur per conceptum Eucharistiae in quantum est

<sup>31</sup> Col. 645—648.

<sup>32</sup> Col. 648 B. Χριστοῦ μέλη ταῦτα τὰ μέλη, τοῖτων τῶν μελῶν τὴν κεφαλὴν τὰ χειρούθινα προσκυνεῖ, οἱ πόδες οὖτοι, οἱ γενεράται· ἀνείγεται ἐξήρτηγται τῆς καρδίας.

<sup>33</sup> Liturgiae expositio, c. VI, P. G., t. CL, col. 381.

<sup>34</sup> Col. 516 D. Cf. etiam col. 592 A, τῇ πλευρῇ δὲ τὴν λεγχὴν ἐδέξατο latere lanceam accepit.

illud pignus futurae gloriae quod Aquinas cecinit. Altaris prandium dicit et praeparat ad prandium caeleste. Illic, carnali vita demum exticta, species panis amplius non erunt, sed sicuti est Christus videbitur (I. Joan. III, 2). »Etenim cum stigmatibus cernuntur manus, et vestigia clavorum pedes habent, et nota infixa in latus lanceae adhuc exstat.<sup>35</sup>

Veritatem vulnerum in Christo glorificato manentium expressius nemo dicet, diligentiusque exprimet nemo eumdem adorationis et amoris cultum eidem Christo tribuendum, qui in evangelio praedicatur et in cruce fuit quique in altari esse creditur et in caelo regnat: Christo nempe unico, qui utpote caput corque corporis mystici cunctis animabus vitae fons est et sanctitatis.

\* \* \*

Pericopen significationis plenam hucusque servavi, in qua dum agit de frequenti communione quam enixe commendat, iterum principalem sui operis doctrinam, a qua pendet tota vita christiana, praclare concinnat. »Quia vero materiae nostrae vitiositas sigillum immotum manere non sinit: Habeamus enim thesaurum istum in vasis fictilibus (II. Cor. IV, 7), ob id non semel, sed assidue (οὐχ ἀταξ, ἀλλὰ διηνεκῶς) medicinam capessimus, figulumque luto semper assidere oportet, et confusam effigiem iterum iterumque reparare, et frequenter sentire nos manum medici, qui materiam fatiscentem redintegret, et labantem voluntatem erigat, ne mors imprudentibus obrepat. Nam cum esse mus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (Eph. II, 5), et Sanguis Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi (Hebr. IX, 14). Veram namque vitam sacrae mensae virtus a sacro illo corde in nos derivat; et ut Deo pariter serviamus, inde nobis conceditur.« Haec ultima phrasis digna sine quae in textu graeco legatur: Τίν τε γάρ ἀληθινὴν ζωὴν εἰς ἡμᾶς ἡ τῆς Ἱερᾶς τραπέζης δύναμις ἀπὸ τῆς μακαρίας ἐκείνης ἔλκει καρδίας.<sup>36</sup>

Vel cum subrisio nis periculo, fateor me non potuisse quin talia legendo cogitem de devotione erga Cor Jesu Eucharisticum. Qui officium et missam propriam festi Cordis Jesu Eucharistici recenter a Benedicto Papa XV. inducti attente perlegerit, huic sententiae exaggerationis notam affigere, ut arbitror, non audebit. Haud importunum hic erit ideam fundamentalem istius devotionis paucis exponere. Vox Cor Jesu Eucharisticum duplēm sensum continent. Primus est: »Cor Jesu, a quo Eucharistiae beneficium accepimus.« Alter est: »Cor Jesu, in Eucharistia praesens«, quae quidem vocis acceptio a speciali hac

<sup>35</sup> Col. 626 A.

<sup>36</sup> Col. 596 D.

devotione haud aliena est. Cum Christi corpus totum realiter praesens sit sub speciebus, Cor ejus igitur est ibi praesens, nobis quam proximum vicinissimumque si ita loqui fas est. In communione τό cor ad cor Christū inter et hunc non est mera metaphora, sed realitas maxime vera et ineffabilis. Nonne autem haec omnia, praeter vocum novitatem, in citatis Cabasilae documentis reperire licet?

Haec denique ultimo animadvertisimus, quae etiam cum Cabasilae doctrina cohaerent: unicum Cor Christi existit, in coelo gloriosum, in altari etiam etsi latens gloriosum, et in Eucharistia nullum sensum habens actionem exserens huic statui propria. Hinc devotio erga Cor Jesu Eucharisticum nullimode realiter distinguitur a devotione erga Cor Jesu Sacratissimum, cuius solummodo pars est quaedam et actus. Ipsa enim Cor Jesu querit ubi praesens realiter est, in Eucharistia nempe immensus beneficium contemplans quo Christus seipsum fidelibus largitur.<sup>37</sup>

In summa, me nil nimium dicere autumo, dum assero, quamquam videbitur παράδοσον, theologiam illius theologi ecclesiae orientalis dissidentis saeculo XIV. omnia devotionis erga Cor Jesu, imo et erga Cor Jesu Eucharisticum essentialia principia continere. Cabasila doctrinam suam in oratione liturgica festi a Benedicto Papa XV. instituti utique posset agnoscere, quae ita sonat: »Domine Jesu Christe, qui divitias amoris tui erga homines effundens Eucharistiae sacramentum condidisti; da nobis, quae sumus, ut amantissimum Cor tuum diligere et tanto sacramento digne semper uti valeamus.« Cabasilae etiam jucunde saperent succinctae nostrarum Litaniarum formulae, ut v. g.: Cor Jesu, lancea perforatum; Cor Jesu, fons vitae et sanctitatis.

Ex his quae in hac dissertatiuncula exserui, duo fluunt attendenda. Primum: Occidenti catholico non sunt aspernanda vel neglegenda ea quae, etiam post schisma, apud orientales servata sunt de Patrum ascetica doctrinalique traditione: hoc enim esset pretiosum respuere thesaurum. Alterum: Orienti christiano, clero paesertim orientali, lucri magni foret Cabasilae et ei similibus scriptoribus studere, ut vitam spiritualem ad sinceros fontes alere discant. Melius sane hujus »vitae in Christo« mysterium intelligerent, cui comparata caetera vilescent. Et quisnam Orientis miram faecunditatem enarrare poterit, cum multi animi, intimitatem cum Christo apprime

<sup>37</sup> Cf. in recenti officio Cordis Jesu Eucharistici, in Hymno ad Matutinum, haec verba: »Cor dulce Jesu, pabuli inventor eucharistici«, necnon istam hymnorum doxologiam:

»Cor dulce Jesu, munera  
Tot unde nobis profluant,  
Fac nostra te medullitus  
Amare discant pectora.«

meditati, vere suam facere poterunt sententiam qua librum IV. De Vita in Christo Cabasilas absolvit: »Et haec est ratio secundum quam regnum caelorum intra nos est?«

**Practica conclusio:** Oratio eucharistica fiat pro unione, pro reviscentia eucharisticae pietatis in Oriente; — oratio fiat pro unione ad Sacratissimum Cor Jesu, ad Cor Jesu »Eucharisticum«; — exemplum fervidissimae pietatis eucharisticae praebatur orthodoxis concivibus ac fratribus a catholice cujuscumque ritus.

#### Votum.

Curentur manuales editiones etiam in vernacula lingua, opusculorum quae dici possunt eucharistica ab orientalibus scriptoribus compositorum: v. g. sic edantur Commentarius liturgicus sub nomine S. Sophronii Hierosolymitani traditus, S. Anastasii Sinaitae Oratio de sacra Synaxi, S. Maximi Homologetae Mystagogia, Germani Constantinopolitani Mystica contemplatio, Nicolai Cabasilae Sacrae Liturgiae Interpretatio ejusdemque liber De vita in Christo, excerpta aliquot ex opusculo Simeonis Thessalonicensis De sacra Liturgia, ex opusculis Gabrielis Severi Philadelphiensis, necnon etiam fragmenta quaedam ex libro Peccatorum Salus Agapii Landi, Cretensis monachi, ex variis Nicodemi Hagioritae operibus vel ex pluribus aliis orthodoxis scriptoribus.

Diffundanturque hujusmodi opuscula inter clericos excultosque laicos, tam catholicos quam orthodoxos: inter catholicos quidem, ut melius cognoscant fervidiusque diligent eucharisticae pietatis thesauros in orientali ecclesia repositos; inter orthodoxos vero, ut et ipsi ex perfectiori eorumdem thesaurorum cognitione desiderium hauriant majori assiduitate frequentandi sacram »vitae in Christo« fontem, divinum scilicet ecclesiasticae unionis Sacramentum quod est Ss. Eucharistia.

## DE INDOLE RITUS ORIENTALIS SLAVICI.

*P. Basilius Bourgeois S. J. — Albertyn (Polon.).*

Est sane valde mirandum, cuivis ex nobis loquenti cum Russis, quantum ex una parte distent a nobis in philosophia et in variis disciplinis hujus vitae, et ex altera parte, quam parum in quaestione fundamentali de primatu Romani Pontificis simplices Russi, incolae pagorum, quam parum, inquam, resistant nostris argumentis. Mirum sane, cum abhinc tot saeculis eorum sacerdotes omne possibile fecerint, ut animum et cor averterent a Roma. Sed est factum. Semper argumenta secundaria avertunt eos a Roma, sicut timor latinizationis, polonizationis et plura huiusmodi, sed nunquam audivi difficultatem directam et fundatam de praecipua quaestione. Propterea multi gaudent, quando audiunt se posse remanere pravoslavos, id est

retinere cultum suum, et simul admittere primatum Romani Pontificis. Ex hoc facto duplex oritur quaestio; 1. cur hic populus tam strenue amet velitque retinere suum ritum, et 2. quo modo, quibus rationibus possit clarescere, elucescere eorum oculis magnum principium unitatis sub Romano Pontifice, omnibus elementis saecundariis omnino sejunctis ab hoc primo et fundamentali principio.

Primum quod attinet, id est de significatione ritus, oportet intelligere, quod ritus non est nisi expressio quaedam culturae, morum populi. Sicut lingua est modus loquendi, sic ritus est modus orandi et laudandi Deum. Vehementer erraret qui putaret ritum esse rem pure externam, formulam quam decet addiscere et sub qua possunt remanere sensus et modi omnino extranei. Quot audivi pravoslavos mihi dicentes: »Nolo fieri Uniatus. Quia (et hoc erat ejus propria mens) Unio fuit tantum mere exterior adhibitus ritus orientalis. In fundo tota mens, methodus erat latina et occidentalisa. Haec est comoedia. Potius quam hoc faciam, malo esse statim latinus.« In ritu est ars, aliqua disciplina, philosophia, traditio saecularis. De hac re theoretice nemo est qui dubitet. Musica modo quo adhibetur, longae litaniae »Ektenia«, usus frequens thuris et candelarum est accommodatus gustibus populi, ita ut frequenter easdem caeremonias, quantum potest, cum thuribulo et cantu domi repetat. Saepe veniunt ad me homines, quaerentes thus, ut orent domi, quia secundum eos sine hoc adjuncto non placet oratio. Hoc omnes possunt scire et, credo, sciunt. Sed practice, quantas difficultates habet missionarius catholicus qui habet ritum orientalem, ut servet non tantum ritum, sed etiam spiritum qui ei subintelligitur, mores, consuetudines — eas sane quae sunt bonae in se, nec ulli verae moralitati repugnant. Quam facile judicabit tales consuetudines occidentales esse meliores et ideo introducendas! Non est quaestio, utrum hae consuetudines sint meliores quoad nos, utrum vere formaverint nostram pietatem et devotionem, sed utrum vere consonent huic populo et bene accommodentur ejus menti. Si non, quamquam bonae, hae devotiones sunt evidenter rejiciendae. Introduces unam aut aliam earum devotionum, forsitan primo aspectu populo placebunt, sed dato tempore in hoc recognoscet elementa aliena, videbitur quasi amplecti novam religionem importatam et non poterit ei conformare suas intrinsecas aspirationes, quae sunt justae et a Deo creatae. Quando Salvator noster vocavit omnes nationes ad suum regnum, noluit ut abdicarent traditiones suas, sed tantum ut unusquisque populus, cum omnibus suis profundis desideriis, sub auctoritate eiusdem Pontificis esset. Et, ut unam quaestionem attingam, consideremus v. gr. devotionem erga sacratissimam personam Salvatoris. In occidente, illa devotio induit nunc aliquas expressiones satis diversas a tempore patrum. Magis humana

tendit ad considerandum Salvatorem ut amicum, ut hominem plenum dolore, qui nos tantum dilexit, et quaerit nostrum mutuum amorem. A tempore S. Bernardi praesertim fuerunt expressae illae sanctae effusiones ad plagas Christi, et paulatim cultus occidentalis cum evolutione artis, litterarum, philosophiae etiam, dedit novam figuram, quae nunc efformatur circa splendidam devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu. In oriente non fuit sic. Evolutio multo lentior et quasi invisibilis easdem vias non est prosecuta. Quamquam aliqui Akathisti, v. gr. »ad Jesum dulcissimum«, valde proximi sint devotioni erga SS. Cor, universim loquendo Salvator apparuit orientalibus tamquam magister, auctor libri vitae, multo plus quam amicus aut cor·amans. Impossibile igitur est, ut quis contra omnes processus ordinarios vitae vellit quasi ex abrupto imprimeret illis animis devotiones quae apud nos sunt tantum fructus longioris et complexae evolutionis. Christus pro orientali est judex, levans digitos ad docendum et judicandum. Liber ejus, evangelium, apparet oculis fidelium multo plus quam SS. Sacramentum. In hoc esse defectum multi forsan consentient. Sed si talis defectus debet corrigi, hoc tantum obtineri potest interna evolutione lenta et prudenti, sed non applicatione abrupta extranearum methodorum. Slavi habent suum secretum, quod saepe remanet quasi mysterium pro occidentalibus quae-rentibus illud investigare; sed hoc secretum eis est carum, in ipso continetur magna vita et amor; hujus secreti ritus est quaedam expressio.

Addamus hoc factum quod fere ubique apud Slavicas gentes religio arctissime miscetur cum nationalitate, cum vita civili, ita ut apud Russos v. gr. pravoslavus idem sonet ac Russus. Religio pravoslava est religio russica. Hoc adnotabatur in eorum actibus civilibus tam baptismi quam matrimonii. Russicus miles in exercitu inscribebatur ipso facto ut pravoslavus et debebat confiteri apud sacerdotem pravoslavum. Ex his et innumeris factis similibus quislibet observans potuit intelligere, quam recte ritus conjungatur in eorum vita cum tota manifestatione tam publica quam privata eorum mentis, ita ut mutatio ritus aequivaleat et sit mutatio nationalitatis, patriae, omnium traditionum, quae ipsis sunt intensissime adamatae.

Si nunc secundam quaestionem tangamus nempe quomodo eluceat oculis pravoslavorum magna necessitas unitatis ecclesiae remotis omnibus impedimentis quae, ut dixi, videntur semper ordinis secundarii, sufficiet trahere sincero animo omnes consequentias illorum quae supra posuimus. Si tam profunde ritus a populo russico aut pravoslavo amatur, si habet tam miram conjunctionem cum omnibus manifestationibus ejus vitae, si de facto haec vita, hae aspirationes tam differunt ab occidente, oportet omnino concedere quod est, et remanet adhuc, quidquid in oppositum fecerimus, magna discrepantia in

philosophia, historia, litteratura, moribus earum gentium, a philosophia et cultura latina. Sed hoc nullam faciet difficultatem unitati, si accurate has quaestiones sedulo sejungamus a quaestione de dogmate et theologia. Dogma est unum, nulla discrepantia dogmatica debet esse in ecclesia Christi, quamquam linguae, philosophiae, culturae possunt esse prorsus diversi generis. Sine dubio, dante Providentia divina, ecclesia latina habuit suam philosophiam, in ea crevit et mirifice per eam est illustrata. Agnoscamus autem esse populos qui idem dogma ac nos agnoscant, sejungantur tamen omni modo a nostra philosophia nec quidquam habent commune cum philosophia scholastica eiusque evolutione. Ipsa jurisdictio aliter intelligitur in oriente ac in occidente, nec facile potest eisdem conceptibus enucleari. Dicamus igitur in ipso dogmate, praeter unam forsan quaestionem, vix ullam esse profundam differentiam inter catholicos et pravoslavos. Totam esse et magnam utique atque profundam in philosophia, methodis, litteratura, tota cultura. Sic quaestio clarior evadet, et solutio magni problematis, forsan, minus obscura fiet. Consequentiae sunt certae. Poterimusne v. gr. docere apud Russos tractatum de gratia ut fit apud nos? Quid significabit, quemnam sensum habebit apud eos controversia de auxiliis, de gratia sufficiente et efficaci, quae tamen magnam partem occupat in nostris tractibus? Nec terminos intelligent et postquam quis explicuerit, phantasma sibi repraesentabunt, cum hae res nullam correspondentiam habeant cum eorum historia et vocabulario. Antropomorphismus eis profunde repugnat: Asia cum suo pantheismo influxit in eorum mentem. Ideo, potius quam omnia haec satagamus, sumamus eminentissima lineamina illius philosophiae cuius Cyrilus, Basilius et alii Patres auctores fuerunt, et quae illis convenientius aptabuntur.

Unitas in dogmate, diversitas in cultura; hoc profunde significat diversitas ritus, hoc debet retineri, sub poena damni, fere irreparabilis, pro sancta causa.

## EXEMPLAR IDEALE MONASTICUM ET SACERDOTALE IN ORIENTE GRAECO USQUE AD SAECULUM NONUM.

*P. Marcellus Viller S. J. — Roma.*

Non est in antiquitate christiana III. et IV. saeculi apparitio tam mira et quae tantum influxum habuit quantum monachismus. Ita enim respondebat huius temporis aspirationibus ut, saeculo elapso, in toto oriente essent monachi: ex Aegypto transierunt in Palestinam et Cyprum et Syriam, deinde in Capadociam et Asiam Minorem, tandem ad Constantinopolim

et Europam. Forsan monachismus non erat nisi sub nova forma expansio ascetarum et virginum quorum tribus primis saeculis amplius et amplius numerus creverat. Iisdem enim motivis et desideriis agebatur, solae conditiones externae mutabantur sub influxu causarum quas hucusque non licet modo certo recensere.

## I

Unitas monachismi non semel data est ut nota characteristicæ ecclesiae orientalis. Sic v. g. ab Alexandro Stourdza initio saec. XIX. In primis vero saeculis varietas extraordinaria apparet. Ad finem saec. V., ad tempus determinandum quo formæ omnes habentur quæ erant adhuc saec. IX., perseverat anachoretismus absolutus monachi viventis solius in eremo, secundum primam formulam Antonii Magni secessum ineuntis. Hanc formam primariam tenebant multi in Syria, aliquot in Palestina.

Historia religiosa Theodoreti gesta narravit et poenitentias extraordinarias eorum qui sub divo vivunt sine tecto, vel in tumulis habitant, eorum qui semper stant vel domunculas ita parvas occupant ut corpus vix aequarent, boscorum qui solas herbas non coctas comedunt, siderophororum qui pondera ferri immensa corpori imponebant.

Manet adhuc et coenobitismus Pachomii non tantum apud Coptas, ubi natus est, sed apud Graecos Aegypti inferioris. Sed magis vigent regulæ Basilianæ, mitigatio Pachomianarum: iam higumenus coenobii non apparet ut dux militaris qui multos habet sub se subditos, sed ut pater familie. Ita Basilius maxima principia vitae spiritualis dederat et in natura hominis evangelicaque lege superioritatem coenobitismi fundaverat ut regulæ eius extendi meruerint ad omnes Graecos monachos.

Multi tamen argumentis Basili non convincuntur, etiam postquam imperator Justinianus formulae Basilianæ sese favere declaravit. Euthymius et Sabas, oriundi ex Cappadocia et Armenia, ubi primum influxit Basilius, sparserunt in Palestina anachoresim mixtam Nitriae et coenobitismum existimarent ut novitiatum laurae. Non enim accipiuntur in laura imberbes et non formati. Solitudo miscetur vitae communi: per quinque dies hebdomadae monachus vivit in cella ut anachoreta, sed sabbato et dominica die ad liturgiam et vigilias venit in lauram et vivit ut coenobita.

Hi sunt quasi typi generaliores vitae monasticae, iuxta quos oportet notare quasdam formas magis speciales.

Stylitismus, quia eius initiator, Symeon Stylita senior, famam habuit in mundo non dissimilem Antonii famae et imitatores celeberrimos. — Inclusi innumeri sunt in toto oriente Graeco inter quos nemo forsitan illustrior quam s. Joannes Silentarius qui relicta sede episcopali in Cappadocia sese

abscondit in cella laurae s. Sabae. — Qui se simulant esse stultos propter Christum »oppido pauci« sunt.<sup>1</sup> Exemplum optimum ille Symeon Salos quem mirati sunt Edesenii cives cuiusque vitam extraordinariam saec. VII. scribebat Leontius Neapolitanus. Sed iam Palladius saec. IV./V. audiverat monachum stultitiam fingere in monasterio Pachomiano. Alii quoque cognoscuntur et diu postea Russia stultos suos pro Christo exaltabat.

Inter hos typos omnes differentiae magnae habentur, sed iam cum Evagrio historico diversitatem monachorum Palestinae saec. VI. describente dicere possumus: »Discrepans quidem est vivendi ratio, ad unum tamen eumdemque pietatis scopum conversatio dirigitur.«<sup>2</sup>

Sane non eaedem plane virtutes requiruntur ab anachoreta et a coenobita. Merito Climacus dixit non multis anachoreticum convenire nec omnes aptos esse ad coenobium; recte iam explicite affirmat illum qui vult monasticam vitam ingredi debere suas aptitudines proprias examinare sub directione patris spiritualis, nam solitario et coenobitae non sunt eaedem difficultates vel eadem pericula<sup>3</sup>. Paenitentia v. g. non eadem est in monasteriis Basilianis quae reguntur multa discretione ac in solitudinibus Syriae vel Nitriae, ubi iuxta Historiam Lau-siacam Palladii vel Historiam religiosam Theodoreti eadem paenitentiae habetur aemulatio ac gloriae et praemii in stadiis. Si credimus assertioni quae ab auctore Vitae Pachomii refertur<sup>4</sup>, vita communis intituta est ut perfectionem adire possint ii etiam qui vitam anachoreticam et eius montificationes ferre non possent.

Sed uterque, coenobita et anachoreta, perfectionem attin gere volunt, non perfectionem qualemcumque humanam vel philosophicam, sed perfectionem iuxta evangelium. Ex die enim qua s. Antonius Magnus audivit in ecclesia verba Domini: »Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus,« formulis evangelicis vocatio monastica exprimitur<sup>5</sup>, vita monachi consideratur ut »vita secundum evangelium«, monachus ut christianus perfectus, quaecumque est vivendi ratio et forma paenitentiae. Nam paenitentia et in genere omnia exercitia ascetica non sunt finis in se, ut affirmaverunt immerito multi protestantes et rationalistae: ascesis non est nisi medium ad finem obtainendum quae est perfectio. Clarissime asserebat Cassianus in I. collatione in qua de fine monaci: »Ieiunia, vigiliae, anachoresis, meditatio scripturarum propter principia-

<sup>1</sup> Evagrius HE I, 21. PG 86, 2480 B.

<sup>2</sup> HE I, 21. PG 86, 2477.

<sup>3</sup> Scala grad. I.

<sup>4</sup> Vita Pachomii n. 77.

<sup>5</sup> Athanas., Vita Antonii; Callinicus, Vita Hypatii n. 4; Basilius ep. 223.

lem scopon, id est puritatem cordis, quod est caritas, nos convenit exercere et non propter illa principalem hanc proturbare virtutem, qua in nobis integra inlaesaque durante, nihil oberit si aliquid eorum quae sequentia sunt pro necessitate fuerit praetermissum: siquidem nec proderit universa fecisse, adempta hac qua diximus principali causa, cuius obtentu sunt omnia peragenda.<sup>6</sup> Et quasi haec non sufficerent, clarius pergit: »Igitur ieunia, vigiliae, meditatio scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinae illius finis, sed per illa pervenitur ad finem.« Finis vero est caritas, finis est puritas integra cordis, finis est unio Dei; »Hic ergo nobis principalis debet esse conatus. Haec immobilis destinatio cordis iugiter affectanda, ut divinis rebus ac Deo mens semper inhaereat.« Et alludendo ad evangelium de Martha et Maria concludit »principale bonum in theoria sola, id est in contemplatione divina Dominum posuisse<sup>7</sup>.

Non aliter loquitur Cassianus in collatione XXIII., ubi commentando verba psalmistae: »Mihi adhaerere Deo bonum est« unionem Dei in terra ponit vel in oratione continua vel in contemplatione. Idem apud omnes. Si carent litteris, vel philosophiae non studuerint, vel ingenium practicum habent, perfectionem exprimunt vocibus simplicissimis: eam vocant vel locutionem sine interruptione cum Deo seu orationem continuam vel eam describunt ut praesentiam perfectam Dei, sicut v. g. Basilius. Si ingenii sunt theoretici vel philosophici, sicut s. Gregorius Nyssenus aut ille mysteriosus auctor qui per tot saecula habitus est Dionysius Areopagita, discipulus s. Pauli, perfectionem dicunt esse in Dei cognitione generis specialis, in oratione sublimi, in contemplatione et unione mystica, non tantum in visione luminis animae suae (sicut quidam iuxta Evagrium Ponticum), sed in ipso ingressu divinae caliginis ubi fit unio supra intellectum. Sed apud omnes perfectio et finis monachi est unio cum Deo quocumque nomine vocantur. »Monachus, ait s. Maximus, est ille qui avertit mentem suam a rebus materialibus et qui per continentiam, caritatem, psalmodiam, orationem perpetuo unitur Deo.«<sup>8</sup> Et apud omnes unio cum Deo est effectus immediatus caritatis, nam caritas est *zat' ἐξοχὴν* virtus unitiva. Sed ut ad terminum veniatur unionis cum Deo media sunt necessaria: oportet incipere a timore et per spem transire ad caritatem<sup>9</sup>.

Deinde quia perfectio monastica est perfectio iuxta evangelium habet ut elementa et conditiones virtutes evangelicas

<sup>6</sup> Coll. I n. 7.

<sup>7</sup> Coll. I n. 8.

<sup>8</sup> Cent. II, 54. PG 90, 1001; cf. conc. in Trullo can. 4.

<sup>9</sup> Cassian., Coll. XI n. 7; Basil. praefatio regul. fusius tract.

et consilia evangelica. Nam mox distinctio facta est inter praecepta quae omnibus necessario imponuntur et praecepta arbitraria quae a voluntate et arbitrio pendent eius qui certat<sup>10</sup>, inter officia quae lex iubet et officia quae voluntas adiungit, inter sacrificia quae lex offerri praecipit et munera quae ex mentis liberalitate offeruntur<sup>11</sup>.

Ante monachismum professio virginitatis iam exstitit, plus minusve explicita, plus minusve sancita per ecclesiam; evangelii enim et Pauli verba clarissima sunt. Monachismus non addit nisi maiorem expansionem et quasi solemniores consecrationem: castitas manet virtus angelica, monachum facit imitatem angelorum. Proinde vita monastica est vita angelica, habitus monasticus est habitus angelicus, etsi forsitan memoria est traditionis habitus Pachomio ab angelo factae.

Hoc etiam animadvertis debet de castitate quod valet de omnibus virtutibus: perfectio monachi est interior et, ut dicebat Isidorus Pelusiota, »ut attingatur finis asceseos non satis est habere cibum et potum et lectum Joannis; perfectio enim requirit quoque animam Joannis«<sup>12</sup>. Virtus quaque exterior secum vocat virtutem interiorum correspondentem. Requiritur castitas corporis, sed maioris fit puritas cordis. Requiritur paupertas et renuntiatio bonis externis, sed ut filius attingatur renuntiatio interior et abstinentia a passionibus. Laudatur donatio rerum suarum, sed magis donum sui et voluntatis suae. »Maior est enim obedientia quam victimae.«

Paupertas dici potest ianua perfectionis: nam simul est primus gradus ad Deum et »primus gradus beatitudinum«<sup>13</sup>, »architectus primae domus virtutis«<sup>14</sup>. Sed qui bonis suis renuntiavit conditionem tantum posuit perfectionis: »Qui rebus renuntiavit, videlicet uxori et divitiis et ceteris rebus, monachum fecit hominem exteriorem; qui renuntiavit cogitationibus quae a passionibus procedunt, is fecit monachum hominem interiorum, id est spiritum. Facile est, quando vis, hominem exteriorem monachum facere. Non lucta facilis est hominem interiorum monachum facere.«<sup>15</sup> Ut symbolum renuntiationis integrae quae hominem novum quasi creare debebat consuetudo invaluit circa IX. saec. mutandi nomen in ingressu religionis et retinendi nominis prioris solam litteram primam.

Liberatio a passionibus, quae verbo graeco et a stoicis sumpto »apatheia« vocatur, a tot auctoribus suadetur ut possit haberi synonymon puritatis cordis ad quam tendere debent

<sup>10</sup> Isidor. Pelus. ep. IV, 204. PG 78, 1292 D.

<sup>11</sup> Theodore t. in ps. 118 v. 108. PG 80, 1856.

<sup>12</sup> Ep. I, 162. PG 78, 292.

<sup>13</sup> PG 105, 869 B.

<sup>14</sup> Vita Nicephori n. 12. PG 100, 53 D et 56 A.

<sup>15</sup> S. Maxim. Cent. IV n. 50. PG 90, 1060. Eadem omnino sententia habetur apud Hesych. Cent. I n. 70. PG 93, 1504.

omnes monachi. Ne quis miretur verbum stoicum a christianis adhiberi: plerumque non aliter sonat ac indifferentia in Exercitiis s. Ignatii, vel potius nihil aliud designat quam libertas mentis de qua saepissime in libris de imitatione Christi. Ad hanc attingendam necessaria est custodia cordis quae simul est vigilantia et resistentia cogitationibus; sic indicantur apud Graecos peccatorum fontes, quos Latini vocamus capitalia peccata. Est etiam lucta adversus diaboli tentationes, sed quia diabolus sese transfigurat in angelum lucis, necessaria est discretio ad distinguendas cogitationes quae veniunt a Deo et cogitationes quae veniunt a diabolo; discretio potest esse vel exercitium virtutis acquisitae vel speciale donum Dei.

Obedientia quia pars renuntiationis et humilitatis, quia renuntiatio propriae voluntatis quae concipitur ut obstaculum voluntati Dei, vel quia saepe confunditur cum docilitate sub directione spirituali, ab omnibus laudatur etsi propter naturam suam virtus propria est coenobitarum. Doctrina Basiliana de obedientia non essentialiter differt a doctrina s. Ignatii Loyola nec iam alias limitationes habet. »Monachus, ait Callinicus, habet ut fundamentum progressus renuntiationem voluntatibus propriis et obedientiam integrum patri spirituali.«<sup>16</sup> Eodem modo incolae laurarum et coenobiorum Palestinae, iuxta Cyrilum Scythopolitanum, basim perfectionis existimabant humilitatem et obedientiam.

Vita monastica etiam est vita paenitens, etsi, ut supra dixi, paenitentiae genus, modus et mensura secundum diversas formas monachismi variantur. Paenitentia debet regi discretionem. »Monachus prudens, iuxta Isidorum Pelusiota qui Basilium sequebatur, debet esse probatus zygostata, non permittens ut alteram in partem lances deflectant neque concedens ut ieunium in debilitatem ac deliquium neque ingluvies in luxum abeat.«<sup>17</sup> Sed Theodorus Studita dicit monachos non peccare »si privatim durante tempore paschali genuflectunt. Nam cum se reos constituerint et quasi carceri voluntario mancipaverint semper debent ad Dominum clamare et humilitate sua misericordiam implorare. Neque enim monacho solemnitas est in terra.«<sup>18</sup> Procul sumus a Chrysostomo asserente diem quemlibet esse christiano diem festum. Magis deinde quam in occidente locus monasterii austerus est et sine consolatione<sup>19</sup>. Vita monastica est luctus perpetuus. Severus omnino est Basilius adversus risum; non minus solitarius cum ridentem reprehenderet: »Rides et iudicaberis,« quia considerabat vitam monasticam ut vitam paenitentem. Concilium Trullanum (691) de-

<sup>16</sup> Vita Hypatii n. 35.

<sup>17</sup> Ep. I, 424; cf. Nil., Ep. III, 242.

<sup>18</sup> Responsa ad interrog. n. 2. PG 99, 1732.

<sup>19</sup> Climac., Scala grad. III.; cf. Vita Lazari Gales. Acta SS. III Nov. p. 574.

crevit nullam culpam detergere posse ab ingressu in monasterium: nam nulla culpa impedit finem vitae monasticae (can. 43).

Monachi omnes unicum spiritum habent. Facile ex textibus ostenditur<sup>20</sup> quomodo primi monachi et in oriente et in occidente sese habuerint ut martyrum successores, vitam monasticam existimaverint suppletoriam esse martyrii. Quia cesserunt persecutiones nec iam fieri poterat mors cruenta pro Christo, licebat vivere pro Christo et spiritualiter mori, illa morte spirituali quam noverant philosophi, quae consistit in renuntiatione, in separatione a passionibus et a rebus omnibus quae passiones excitare possint.

Martyrium, donum sui perfectum et verum holocaustum, recte perfectio summa existimabatur; vita monastica, completa etiam sui donatio et holocaustum vivum, mox locum suscepit martyrii. Monachi omnes saec. IV. et imprimis Antonius, Pachomius, Basilius hanc affinitatem agnoscunt inter martyrium et vitam monasticam: omnes volunt ad exemplum martyrum imitari Christum crucifixum, semper in mente habere passionem Domini nostri Jesu Christi, esse et ipsi crucifixi.

Illae sententiae perseverant post saec. IV. Auctor vitae Danielis Stylitae, qui scribebat forsitan saec. V. exeunte asserit quod »iusti sese crucifixerunt ob fidem in Christo«<sup>21</sup>. Saepissime monachis applicatur verbum Apostoli: »Carnem crucifixerunt cum affectibus et concupiscentiis.«<sup>22</sup> Imperator Leo Philosophus vitam monasticam definiebat »civitatem cuius cives debent oculos semper fixos habere in crucem et mortem Christi«<sup>23</sup>. Verba quibus in ecclesia Graeca sacerdos novo monacho depingit vitam quam deinceps agere debet: »Renuntiatio nihil aliud est nisi crucis et mortis professio«<sup>24</sup> antiquissima sunt: nam habentur non tantum saec. IX. apud Theodorum Studitam<sup>25</sup>, sed iam in vita s. Syncleticae et apud Cassianum<sup>26</sup>.

Propter hanc similitudinem cum martyrio et cum morte Christi vita monastica habebatur ut alter baptismus, vestis monastica ut delens peccata. Haec saec. IX. ab omnibus admittuntur. Propterea tot laici illustres, et ipsi imperatores, nigrum habitum monachorum in extremis accipiunt quasi novum et ultimum sacramentum. Iam vestis monasticae acceptio a

<sup>20</sup> Cf. *Martyre et perfection. Martyre et ascèse* (*Revue d'Ascétique et de Mystique*, Janvier et avril 1925).

<sup>21</sup> Vita Danielis Stylitae n. 1.

<sup>22</sup> Procop. in Isaiam PG 87, 2649 B; Cyrill. Alex. in Isaiam PG 70, 1365; Vita s. Leonis Lucae Act. SS. I Mart. p. 99; Vita s. Barlaami et Josaphat PL 73, 489.

<sup>23</sup> Const. X. PG 107, 448 B.

<sup>24</sup> Goar, *Euchologion* n. 407.

<sup>25</sup> PG 99, 1497.

<sup>26</sup> Vita Syncl. n. 76. PG 28, 1532; Cassian., Institut. IV, 34. PL 49, 194 B.

Ps.-Dionysio Areopagita inter maximos ritus sacros recensetur, ab aliis, v. g. a s. Theodoro Studita, inter mysteria ecclesiae: tanti faciebant monachismum.

## II

Non agitur hucusque nisi de perfectione propria. Etenim monachus debet »vacare sibi«<sup>27</sup>, vel iuxta Scripturam »attendere sibi ipsi«. Non raro inter opera monachorum recensetur hominum fuga<sup>28</sup>: »Fuge homines et salvaberis;« »Fuge, tace, quiesce«. Haec sunt verba vocis divinae ad Arsenium orantem.

Inde apparet oppositio inter finem vitae monasticae et finem vitae sacerdotalis. Sacerdos enim omni tempore fuit intermedius inter homines et Deum, mediator et intercessor: propterea debet vacare et intendere aliis. »Monachus vivit Deo soli. Sacerdos vero debet sanctificare animas, ferre hominem ad Deum et Deum ad hominem.«<sup>29</sup> Ita manifeste opponebantur sacerdos et monachus ut non solum non suaderetur monachis ut sacerdotium assumerent, sed etiam ut suaderetur ne assumerent. »Haec est, ait Cassianus, antiquitus patrum permanens nunc usque sententia quam proferre sine mea confusione non potero qui nec germanam vitare nec episcopi evadere manus potui, omnimodis monachum fugere debere mulieres et episcopos. Neuter enim sinit eum quem semel suae familiaritati devinxit vel quieti cellae ulterius operam dare vel divinae theoriae per sanctorum rerum intuitum purissimis oculis inhaerere.«<sup>30</sup> Non aliter scribebat s. Nilus<sup>31</sup> ad discipulum suum: »Etiam antea ad te datis litteris tibi significavi et nunc denuo tibi edico: Sacerdotii gradum et in alios principatum et in alios dominium dirigere et primatem esse non esse tibi utile neque commodis tuis aptum. Multi siquidem ex monachis in eremo, cum ieunio et continentia pie sancteque vita peracta et instar luminaris spiritu caelesti aucti illustri honore ac nomine celebrati fuere et sive invitti sive libenti animo in sacerdotium promoti, et hi cum mundo adhaesissent conquisitas a se multis laboribus et conatibus et sudoribus virtutes amiserunt.«

Non multo facilius, sed alio ex motivo s. Sabas aliquem ex monachis fieri sacerdotem concedebat. Nam existimabat »clericatus desiderium esse radicem cogitationum ambitiosarum«<sup>32</sup>. Ipse Basilius videtur timere ne monachi sacerdotio efferantur<sup>33</sup>. Itaque multi monachi sacerdotium vel fugerunt

<sup>27</sup> Athanas., Vita Antonii. PG 26, 844; Basil. PG 31, 198; Nilus PG 79, 549; Vita Nicephori PG 100, 53 C; Vita Steph. Sabaitae Acta SS. III. Jul. 569.

<sup>28</sup> PL 73, 858 AB.

<sup>29</sup> Greg. Naz., Poemata sect. II. PG 37, 958.

<sup>30</sup> Instit. XI, 17. PL 49, 418.

<sup>31</sup> Ep. IV, 1. PG 79, 549 BC; cf. 544 C.

<sup>32</sup> Cyrill. Scythopol., Vita Sabae n. 18.

<sup>33</sup> Basil., De renuntiatione saeculi n. 10. PG 31, 648.

vel inviti susceperunt<sup>34</sup>. Deinde non facile sacerdotes in monasteria accipiebantur<sup>35</sup>. Proinde paucissimi monachi sacerdotes erant. Absentia sacerdotis in laura fuit occasio rebellionis monachorum adversus Sabam, nec alium invenit modum pacificationis patriarcha Hierosolymitanus nisi ordinationem ipsius Sabae. Propterea etiam sacerdotes et quandoque episcopi vitam monasticam suscipiunt quin declarent se esse ordinatos; Joannes Silentarius v. g. non fatetur se esse episcopum nisi patriarchae ipso die quo Sabas vult eum ordinari<sup>36</sup>. Eodem modo presbyter Zeno ignoratur in monasterio Hypatii et post mortem eius demum litterae testimoniales inventae sunt<sup>37</sup>.

Ex regulis Basilianis facile concludi potest higumenum esse sacerdotem<sup>38</sup>, porro Vitis Sabae, Joannis Silentarii, Cyriaci, quas scripsit Cyrillus Scythopolitanus, Sabam voluisse ut ex monachis optimi ordinentur. Postea Justinianus imperator voluit in unoquoque monasterio quatuor vel quinque sacerdotes esse<sup>39</sup>. Si plures postea fuerunt, semper tamen minores numero quam monachi non sacerdotes<sup>40</sup>.

Concludendum ne monachismum opponi vitae apostolicae, a monachismo reiici finem apostolicum? Haec est conclusio professoris illustrissimi Ad. Harnack, qui in libro »Das Mönchtum und seine Ideale« contendit monachos orientales »rarissime se dovovisse ecclesiae«. Oppositam vero thesim credo posse sustineri.

Etsi monachi plerique apostolatum externum reiecerunt et sacerdotes non fuerunt, attamen apostolica mens non deerat in monasteriis orientis Graeci et monachi laboraverunt ad servitium ecclesiae. Si mihi licet iterum uti verbis D. Harnack, sed sensu inverso: monachismus Graecus primitivus non est iuxta ecclesiam sed in ecclesia et ecclesiae laborat.

Primum animadverti debet coenobitismum ortum esse ex mente apostolica, ut esset ei cura de salute aliorum. Hunc finem Pachomii laudabat Antonius<sup>41</sup>. Basilius quoque, verbis apostolicis nixus, vitam coenobiticam longe superiorem anachoretica existimabat, quia non de se tantum, sed etiam de aliis curant coenobitae: »Caritas non querit quae sua sunt. Vita

<sup>34</sup> De vitis patrum lib. VII. Verba seniorum cap. XXXIII. De fugiendo clericatus honorem. PL 73, 1051 s.

<sup>35</sup> Vita Pachomii n. 18. Acta SS. III Maii p. 25; cf. Regulam s. Benedicti cap. 60.

<sup>36</sup> Cyrill. Scythopol., Vita Sabae n. 18, 19; idem, Vita Joannis Silent.

<sup>37</sup> Callinicus, Vita Hypatii n. 75.

<sup>38</sup> Reg. fus. tract. 26; Reg. brev. tract. 98.

<sup>39</sup> Novel. 133 ed. Zachar. Langenthal, Leipzig 1881, t. II p. 22.

<sup>40</sup> Conc. VII. oecum. can. 14. admittit adhuc higumenum posse non esse sacerdotem; tamen saec. VIII. higumeni generatim sunt sacerdotes. Hoc tempore monachi non ordinantur nisi post aliquot annos vitae monasticae. Vita s. Nicetae Act. SS. I Apr. p. 260.

<sup>41</sup> Vita Pachomii n. 76, 77.

autem solitaria et seorsum a ceteris omnibus acta scopum unicum habet ut suis quisque utilitatibus inserviat. Hoc autem aperte adversatur caritatis legi quam implevit Apostolus qui non sua, sed multorum commoda quaerebat ut salvi fierent.<sup>42</sup> Non aliud est fundamentum vitae apostolicae. Proinde logice, Basilius adducebatur ut partem aliquam statueret apostolicam in vita monachorum.

At nolo immorari in principiis. Ut ad facta veniamus, distingui potest duplex apostolatus monasticus; 1. apostolatus accidentalis vel impropre dictus, 2. apostolatus regularis, ordinarius et proprie dictus, cura animarum.

### 1. Apostolatus accidentalis seu impropre dictus.

In novella Justiniani 133 vita monastica definitur »res sacra quae dicit ex se animas ad Deum, sed non tantum auxilio est iis qui eam amplexi sunt, sed etiam aliis ob eius puritatem et intercessionem apud Deum«. Oratione et exemplo vita monastica aliis potest utilis esse. Ab omnibus existimantur monachi ut intercessores et ecclesiae et imperii contra impietatem Juliani apostatae. Gregorius Nazianzenus spem ponebat in precibus ascetarum<sup>43</sup>. Si periculum aliquod imminet, patriarcha vel imperator convocat monachos et eorum precibus rem commendat<sup>44</sup>. Privati quoque in difficultatibus et periculis fidem habent in intercessione monachorum. S. Joannes Eleemosynarius, Alexandrinus patriarcha celeberrimus, postquam fundavit duo monasteria, monachis dixit: »Ego post Deum utilitatem corporalem vestram procurabo, vos autem spiritualis habetote meae curam salutis. Vespertina et nocturna vigilia mihi apud Deum imputetur.«<sup>45</sup> Nec aliter egerunt alii fundatores innumeri.

Exemplo etiam vita monachorum est apostolica. »Lumen monachorum, ait Climacus, sunt angeli; omnium vero hominum lux est vita monachorum.«<sup>46</sup> Vita monachorum non esset perfecta, nisi attraheret animas. Recte s. Antonius Cauleas »virtutis statuebat perfectionem non solum in eo esse sitam ut ipse se recte gereret, sed ut etiam ex quadam redundantia esset omnibus regula«<sup>47</sup>. Sanctitas enim, ubiquecumque habetur, necessario radios emittit; lucet et ardet. Causa est cur tot monachi, etiam inviti, tantum influxum apostolicum habuerint. S. Antonius Magnus, etsi existimat solitudinem sic

<sup>42</sup> Reg. fus. tract. 7 n. 1. PG 31, 929 A.

<sup>43</sup> Orat. contra Julian. I n. 71. PG 39, 593.

<sup>44</sup> Innumera exempla. PG 109, 456 s; 110, 817 B; Com be fisi, Nov. Auct. II, 734.

<sup>45</sup> Leont. Neapol., Vita Joannis Eleemosyn. ed. Gelzer cap. 42.

<sup>46</sup> Scala grad. XXVI. PG 88, 1020 D.

<sup>47</sup> Vita s. Antonii Cauleae patriarch. Const. cap. II n. 11. PG 106, 187.

monachis necessariam ut piscibus mare<sup>48</sup>, vitare non potest visitatores multos qui ad eremum veniunt eum consulendi causa; et iuxta verbum s. Athanasii medicus est totius Aegypti, non tantum corporum, sed etiam animarum<sup>49</sup>. Inter documenta quibus describitur conversatio primorum monachorum pars constituitur e relationibus peregrinorum qui monachorum fama adducti sunt in eremum; sic v. g. Historia monachorum quae diu Rufino attribuebatur et cuius non est nisi traductor, Historia Lausiacca et etiam opera Cassianii. Et omnes compertum habent ex Confessionibus s. Augustini quanti influxus esset in occidente Antonii vita.

Aliquot saeculis postea idem concursus populi erat ad columnas stylitarum. Theodoreus narrat conversiones innumeris barbarorum quae Symonis Stylitae senioris exemplo habebantur: »Ismaelitarum... millia quam plurima, quae impietatis caligini servierant, statio illa in columna illuminavit. Nam veluti super candelabrum aliquod posita lucidissima haec lucerna radios solis instar omnes in partes emisit; Iberosque... et Armenios et Persas accedentes et divinum baptismum accipientes.»<sup>50</sup> Fama Symonis universum orbem attigerat: per mercatores Gallos relationes habebat cum s. Genovefa, et Romae ita celeber erat, ut in omnibus officinarum vestibulis parvae eius imagines statuerentur. Et sanctus, qui columnam ascenderat ne turbaretur a populo, non invitus apostolatum exercebat: bis quotidie exhortationem habebat. »Sanctarum simul ecclesiarum providentiam non neglit: nunc pugnans contra gentilium impietatem, nunc Judaeorum frangens contumaciam, nunc haereticorum turmas profligans, atque interdum ad imperatorem de his litteras mittens, interdum praesides ad divinum zelum excitans, ipsos etiam interdum ecclesiarum pastores admonens ut gregum suorum maiorem curam gerant.»<sup>51</sup>

Idem dici potest de aliis stylitis. S. Daniel qui Constantinopoli stylita erat a columna descendit, ut ecclesiam defenderet contra imperatorem monophysitam et usurpatorem Basiliscum (477).

Semper, etiam ab initio, monachi existimaverunt ut officium, obstandum esse omni innovationi in fide<sup>52</sup>. Iam s. Antonius discipulis commendabat ut haereticos fugerent<sup>53</sup>. Non semel in exiliis Athanasius refugium habuit apud monachos; itaque libenter eis mittebat epistolas festivas et opera dedi-

<sup>48</sup> Athan. s., Vita Antonii n. 85.

<sup>49</sup> Exemplum Eulogii venientis ad Antonium in Hist. Lausiacca Paladii cap. 21, ed. Butler p. 63—69.

<sup>50</sup> Hist. relig. cap. 26. PG 82, 1476 AB.

<sup>51</sup> Theodore, Hist. relig. cap. 26. PG 82, 1484.

<sup>52</sup> Theodor. Stud. ad higumen. Theophilum I, 39. PG 99, 1049 C; cf. II, 2. PG 99, 1121 A.

<sup>53</sup> Athan. s., Vita Antonii n. 69, 70.

cabat. Contra Valentem, imperatorem arianum, monachus Isaac primus causam libertatis catholicae suscepserat. Basilius monasterium in Ponto reliquit ut Eusebium episcopum sustineret. Ipse Aphraates exierat e solitudine et imperatori interroganti: »Quorsum tandem tu qui vitam solitariam professus es, quiete reicta, forum securus obambulas?« respondit »paternae domui conflagranti succurrendum esse«<sup>54</sup>.

Nolo dicere omnes monachos rectam fidem tenuisse: nam inter duces monophysitarum non pauci monachi erant. Sed ipso tempore monophysitismi fides non habuit meliores defensores quam monachos, praesertim Euthymium et Sabam in Palestina. Dein tempore schismatis Acacii Roma nuntiis fidelibus utebatur monachis acoemetis. Postea propugnator acer-rimus orthodoxiae contra monotheletismum est monachus s. Maximus Confessor. Tandem, diebus infestissimis iconoclasmi, ibi vera fides est ubi s. Theodorus et Studitae. Quia praecipui fidei defensores erant, monachi tantum influxum habere me-ruerunt.

Sed in propagatione fidei partem quoque habebant. Eodem fere tempore quo Martinus idola delebat in Gallia, Hypatius arbores sacras et signa pagana in Bithynia destruebat. Idem iam fecerat in Thracia Jonas monachus, Hypatii magister<sup>55</sup>. Idem Hypatius impedivit Leontium praefectum, ne denuo Olympicos ludos institueret. Euthymius Saracenis quos converterat episcopum creavit. Eodem modo monachi Syriae christianam religionem seminabant inter populos vicinos<sup>56</sup>.

Huic apostolatui accidental ministerium caritatis corporalis addere possumus. Non omnia xenodochia, orphanotrophia a monachis diriguntur, pleraque tamen. Ac meminisse oportet leglatorem praecipuum monachorum Graecum s. Basilium creasse Caesareae xenodochium, quod nomine eius vocabatur Basilias, quandam deinde regulam Basilianam respicere curam aegrotorum<sup>57</sup>. Monasteria Aegypti et Palestine tempore famis pauperes multos pane et cibis reficiebant. Semper in omnibus monasteriis cibi pauperibus distribuebantur. S. Cyrillus Alexandrinus monachos hortabatur ad laborem manualem, contra doctrinam Messalianorum, ut possint auxilio esse orpha-nis et viduis<sup>58</sup>.

## 2. Ministerium animarum ordinarium.

Paulisper commorari oportet in regulari animarum cura, ut appareat vitae apostolicae accommodari posse monachismum

<sup>54</sup> Theodore t., Hist. relig. cap. 8. PG 82, 1373.

<sup>55</sup> Callinicus, Vita Hypatii n. 41.

<sup>56</sup> Theodore t., Hist. relig. PG 82, 1417—20, 1360 B; Sozomen, HE VI, 38; Rufin. HE II, 6.

<sup>57</sup> Reg. brev. tract. 155. PG 31, 1184.

<sup>58</sup> Cyril. Alex., Resp. ad monachos. PG 76, 1176 B.

Graecum. In regulis Basilianis dotes tales requiruntur a monacho illo qui hospitum curam habet — debet enim medicus esse animarum, et sicut dicit regula »curare per verbum« — ut concludere necesse sit eum esse aptum ad directionem spiritualem et multos laicos, salutis animae causa, monasteria frequentare<sup>59</sup>. Deinde, etsi Ps.-Areopagita existimat monachos non debere fieri directores animarum neque sese immiscere quaestionibus paenitentiae, quia pertinent ad triadem sanctificandorum, non ad triadem sanctificantium, — hoc valet de solis monachis non sacerdotibus, non de hieromonachis — testimonia sunt quod medio aevo omnis fere directio spiritualis ad monachos transiit.

Hoc solum afferam. Episcopus Latinus, saec. XIV, missionario in oriente, in Directorio ad passagium faciendum 1332, quo suadebat regi Franciae Philippo VI. ut expeditionem cruciatam adversus Constantinopolim ageret, notabat ut causam influxus monachorum Byzantinorum, quod soli audiebant confessiones<sup>60</sup>.

Constat etiam aliquando monachos non sacerdotes animarum directionem suscepisse. Necesse non est multos adducere textus post studia omnibus nota vel prof. Caroli Holl, Enthusiasmus und Bußgewalt beim griechischen Mönchtum (Leipzig 1898) et doctoris Josephi Hörmann, Untersuchungen zur griechischen Laienbeicht (Donauwörth 1913). Uterque consentit in hoc facto, quod negari nequit, in oriente Graeco — possumus addere et Russo — magis attendi ad dotes supernaturales et charismata confessarii quam ad vim confessionis. Miracula semper attraxerunt homines, sed praesertim in oriente. Non deest exaggeratio aliqua in affirmationibus utriusque auctoris. Forsan non satis attendunt ad protestationes vel Ps.-Areopagitae vel Balsamonis (saec. XII.) vel etiam Theodori Studitiae<sup>61</sup>. Id tamen restat quod monachi non sacerdotes si charismata possidebant, existimabantur a quibusdam potestatem habere remittendi peccata. Haec potestas ficta fundari poterat in assimilatione martyrum et monachorum. Sicut olim confessores intercedebant, ob meritum quod habebant apud Deum, ob hanc potestatem specialem (*παρόντσια*) quam conferebant dolores confessionis, sic monachi, »confessores pietatis«, intercedunt ob potestatem quam conferunt praenitentia, lucta adversus daemones, vita monastica illustrissima.

Hoc magis forsitan post saec. IX. Symeon novus theologus (saec. XI.) sustinuit potestatem remittendi peccata non dari

<sup>59</sup> Reg. fus. tract. 45. PG 31, 1033; cf. Reg. brev. tract. 313. PG 31, 1309. Interdicitur monachis visitatio parentum, excepta salutis animae causa. Reg. brev. tract. 189.

<sup>60</sup> Ed. Reiffenberg, Bruxellis 1844, p. 291.

<sup>61</sup> PG 99, 1653 B.

per ordinationem, sed per sanctificationem personalem et charismata. Indubie affirmavit valide absolvere monachum non sacerdotem, dummodo mereatur choro discipulorum Christi accenseri<sup>62</sup>. Sed iam duo monachi saec. VI. qui inclusi vixerunt in monasterio Seridi prope Gazam, Barsanuphius et Joannes, non semel in suis Responsoribus peccata remissa declararunt.

Alia motiva suadere possunt monachismum Graecum non opponi curae animarum ordinariae.

Factum est plane compertum omnibus quod nunc in oriente orthodoxo episcopi eliguntur inter solos monachos. Illam exclusionem non fuisse statim admissam patet. Can. 48 concilii Trullani (691) iubet eum qui ordinatur in episcopum separari a muliere, quod est certum indicium uxoratos sacerdotes evehi posse ad episcopatum. Sed saec. IX. ita generalis est consuetudo eligendi monachos ut Nicephorus<sup>63</sup> et Photius, antequam ordinarentur, prius vestem monasticam acceperint. Hic usus fuit deinde regula ordinaria.<sup>64</sup> Sed iam ab initio monachismi aliquot monachi ad episcopatum elevati sunt. Epistola famosa s. Athanasii, scripta an. 354 vel 355 ad monachum Dracontium qui fugerat, ne episcopatum accipere cogeretur, nobis et nomina septem episcoporum ex monachis electorum et motiva apostolica praebet, ob quae monachus debet munus episcopale suspicere<sup>65</sup>. Non est necessarium referre nomina magnorum episcoporum saec. IV. Cappadociae qui primum vitam monasticam egerant.

Non tantum episcopi electi sunt ex monachis, sed et missionarii. Quis nescit s. Methodium, Slavorum apostolum, fuisse monachum et probabiliter etiam fratrem eius Cyrillum? Primi quoque Bulgarorum apostoli fuerunt et ipsi monachi. Continuator Theophanes<sup>66</sup> opera monachorum quos Basilius Macedo »ex montibus et cavernis terrae acciverat« gentem Bulgaricam dicit in Christi segetem attractam esse. Sed sunt exempla multo anteriora. S. Joannes Chrysostomus non tantum scribebat in tractatu de sacerdotio — illo libro quem nemo potest legere quin vulneretur amoris vulnere, iuxta Isidorum Pelusiota<sup>67</sup> — sacerdotem maiorem esse monacho simplice et in vita sacerdotali plus virtutis requiri quam in vita monastica<sup>68</sup>, sed etiam contra sententiam ordinariam monachos ordinari volebat. Nam iuxta Callinicum monachis dicere solebat: »Ratio vobis reddenda est Deo quia vos ipsos abscon-

<sup>62</sup> Epistola de confessione cap. 1. 11. 14 ed. K. Holl vel PG 94.

<sup>63</sup> Vita Nicephori n. 24. PG 100, 68 B.

<sup>64</sup> Symeon Thess. De sacerdotio. PG 155, 964 AB.

<sup>65</sup> PG 25, 523—534.

<sup>66</sup> PG 109, 357 D; cf. 104, 477.

<sup>67</sup> Isid. Pelus. Ep. I, 156. PG 78, 288.

<sup>68</sup> De sacerdotio VI, 5—7; cf. Isid. Pelus. Ep. II, 284.

ditis et lucernam vestram supra candelabrum non ponitis deprecantes ordinari ipsi et satagentes ordinari alios quos non novimus.« Forsan etiam utebatur, quod tunc temporis inauditum non est, aliqua violentia ut monachos ordinaret; nam contigit »unum quemdam monachorum, dum ordinabatur nolleque sibi manum imponi, Chrysostomi digitum praemordisse«<sup>69</sup>. Idem cum sacerdotes mitteret in Phoeniciam, ubi paganismus magis quam aliis in regionibus fidei christianaes adversabatur, praesertim monachos elegit. Historia huius missionis est pagina gloriosa vitae Chrysostomi, nam ostendit sanctum episcopum minus curare de suis doloribus quam de propagatione fidei; sed etiam monachis gloriam affert. Ad Phoeniciam non paucae exsulis epistolae referuntur. Ex Nicaea mense iulii an. 404, dum proficiscitur, ad Constantium presbyterum scribit, ut officium quod incepit impleret, scilicet Graecae superstitionis exterminationem, ecclesiarum constructionem, animarum curam. »Ne omiseris Phoeniciae, Arabiae et Orientis ecclesiarum curam gerere, illud persuasum habens locupletiorem mercedem te recepturum esse si tot et tantis intercedentibus impedimentis, quae tuarum partium sunt praestiteris... Scribe nobis quot ecclesiae quolibet anno aedificatae sint, quinam sancti in Phoeniciam commigrarint et si qua maiora accesserint incrementa.« Nuntiat deinde inclusum quemdam monachum qui prope Nicaeam vivebat persuasum habere ut iret in Phoeniciam: »An is ad te venerit, fac sciam.«<sup>70</sup>

E Cucuso, cum iam advenisset ad itineris terminum an. 405 presbyterum Nicolaum laudabat quod monachos in Phoeniciam miserat et nunc, in negotiorum difficultate, non modo eos non abduxit sed etiam manere cogebat<sup>71</sup>. Deinde Gerontium presbyterum, qui morbo detinebatur procul a Phoenicia, certiorem facit quod »inveniet in loco missionis omnia quae nunc habet: ieinium, vigilias et cetera vitae monasticae {καὶ τὴν ἀλληρὴν φιλοσοφίαν}«. Gerontius igitur unus erat ex monachis qui mittebantur. Gerontius deinde inveniet »id quod non potest habere ubi est: salutem tot animarum et periculi mercedem«<sup>72</sup>.

An. 406 monachi complures partim vulnerati sunt a paganis, partim etiam mortem obierunt. Urget statim Chrysostomus presbyterum Rufinum ut quam citissime in Phoeniciam proficisceretur: »Quam saepissime velim an nos scribas et etiam in itinere, priusquam in Phoeniciam perveneris... in singulis mansionibus... Cura ut omnia sciamus. Quod si fratres etiam mitti oportere putes, id quoque fac sciam.«<sup>73</sup> Simul hortabatur monachos qui in Phoenicia laborabant, ut permanerent neve

<sup>69</sup> Vita Hypatii n. 19.

<sup>70</sup> Ep. 221. PG 52, 733.

<sup>71</sup> Ep. 53. PG 52, 637 s.

<sup>72</sup> Ep. 54. PG 52, 638 s.

<sup>73</sup> Ep. 126. PG 52, 686 s.

sese sinerent ab ulla difficultate adduci ut Phoeniciam relinquenter: »Quo plures difficultates vobis obiiciuntur gravioresque fluctus ac maior perturbatio, eo constantius laboretis, excubetis, maiorem animi promptitudinem adhibeatis ut ne praeclarissima substructio vestra corruat nec tantus vester labor fructu careat susceptaque in animarum cultu opera deleatur.« Et exemplum proponebat apostolorum qui ne in carcere quidem evangelizare cessaverunt<sup>74</sup>.

Per haec appareat quod monachismus orientalis sicut et monachismus occidentalis vertere poterat ad apostolatum, quod influxus episcoporum, ut v. g. Chrysostomi, novam directionem poterat creare, et etiam quod monachismus orientalis Graecus primis saeculis non essentialiter vitae apostolicae opponebatur.

Quod monachi magis apti erant quam sacerdotes uxorati, ostendit can. 30 concilii Trullani (691), dum concedit sacerdotibus uxoratis qui sunt in barbaricis ecclesiis facultatem sese separandi a muliere. Non datur aliud motivum nisi pusillanimitas et mores non satis firmi barbarorum; sed patet hoc facto a concilio agnosci quod facilius sacerdotes ii qui castitatem voverant barbaras gentes ad fidem christianam adducebant.

## DE MONACHISMO APUD GRAECOS ET SLAVOS POST SAECULUM NONUM.

*D. Placidus de Meester O. S. B. — Roma.*

Cum quis res orientalium ecclesiasticas consideret aetatibus quibus ab ecclesia occidentali sint separati, a vitio omnino caevo impetu vituperandi quaecunque dicta, scripta, facta aut instituta ab iis fuerint. Imprimis maxima cura distinguendum est inter res et personas. Homines si a nobis dissenserint, num hanc ob causam quae ab ipsis fuerint constituta absonta fors diceres?

Quae modo notamus ad rem nostram accommodemus.

Instituta monastica quae in ecclesia byzantina et in ecclesiis quae eius ecclesiasticum ius receperunt perantiqua sunt atque ad tempus pertinent quo omnes ecclesiae stricto vinculo erant unitae. Haec instituta itaque communi consensu florabant et communis usu recipiebantur, ita ut tanquam monumenta sancta et venerabilia a nobis habenda sint et tanquam ecclesiasticae traditionis commune patrimonium plurimi faciendum.

Id quidem eo altiori voce est declarandum quod eremitae plurimi atque coenobitae, dum in montium antris vel in paci-

<sup>74</sup> Ep. 123. PG 52, 676—678.

ficiis lauris multis adhuc annis sanctam agere vitam perseveraverint, ignari omnino fuerint et luctuosi ecclesiarum discidii et controversiarum quae in civitatibus et publicis locis exortae fuerant. Nedum fidem in ecclesiam catholicam reiecerint, discipuli S. Antonii, S. Pachomii, S. Basilii Magni, S. Euthymii, S. Theodori Studitae et aliorum in asceti patrum eandem fidem strenue profitebantur ac eorum legum datores.

Quae quum ita sint, status monasticus ut campus omnibus ecclesiis communis habetur, floribus ac fructibus haud viduus, in quem armis paribus orientales atque occidentales descendamus oportet, non quidem ad inimicas manus conserendas, verum enim ad amplexum pacis mutuo dandum.

Haec mihi majore licentia dicenda sunt, quia inter illos sum cooptatus monachos qui in Occidente plurimis modis pares sunt cum monachis ecclesiae orientalis. Quisnam enim ignorat S. Benedictum in regula sua multos hausisse canones ex *typicis* (i. e. regulis) patrum orientalium, imo S. Basilium dulci »*patris nostri*« nomine ab ipso vocatum fuisse? Praeter hanc originis communionem res monasticae Occidentis et Orientis in plurimis conveniunt. Quam cognitionem et ut ita dicam consanguinitatem in memoriam saepius reducent mox dicenda.

Quibus praelibatis in ipsam orationem ingredior.

Ecclesia orientalis, inde a primis aevis, vitam monasticam semper adprobavit ac fovit eique maximam aestimationem tribuit atque honorem. Praetereo solitarios et coenobitas plurimos inter sanctos collocatos qui in kalendario ecclesiastico sive simul<sup>1</sup> sive seorsim speciali memoria coluntur ceterosque omitto qui e cenobiis vel etiam e locis solitariis ad munera ecclesiastica obeunda aut ad honores sunt evecti. Imperatores byzantini cum leges ferant, nunquam monachos praetermittunt, quippe qui una cum clericis peculiarem subditorum ordinem efforment. Insuper in synodis sive oecumenicis sive topicis Patres canones promulgant qui vitam monachorum ordinent et moderentur. Hoc igitur modo jus quoddam monasticum exortum est, rigidum satis ne vetusta traditio currentibus annis paulatim evanesceret nec tamen nimis angustum quo facilius status monasticus evolvereatur atque mutatis temporibus iusta et nova caperet incrementa.

Hae sunt praecipuae sedes vitae monasticae quae a saeculo IX. ad nostram usque aetatem animum desigunt. Intra limites imperii byzantini menti nostrae objiciuntur in Palaestina Laura magna S. Sabae et coenobium S. Sepulchri necnon monasteria S. Catherinae in monte Sinaitico: dein in Thessalia, mo-

<sup>1</sup> Sabbato ante Dominicam *Tyrophagi* quae in ecclesia ritus romani Dominica quinquagesimae dicitur, ecclesia ritus byzantini memoriam facit omnium Patrum ac Sanctorum qui unquam in asceti fulserunt. Inter eos, plures connumerantur sancti romani, ex. gr. S. Hieronymus et S. Pater Benedictus qui etiam die 14 mensis martii speciali festo colitur.

nasteria sic dicta *Metéomega*; in Graecia Megaspilaem; Mons Latros apud Miletum et Mons Olympus in Asia minore, ac Mons Ganos in Propontide, quos montes praecipue frequenterunt anachoretae. Apud Trapezuntium notetur monasterium Sumelas; in insula Patmo coenobium S. Johannis Evangelistae; in urbe Constantinopoli illustria coenobia Studitarum. Nec omittantur cohortes monachorum qui ut e Saracenorum et Ico-noclastarum manibus elaberentur, in Siciliam atque in Italiae meridionales partes confugerunt.

At vero omnium celeberrimum centrum monasticum est ille Mons Athos, qui auctoritate ac sanctitatis fama maxima prae-celluit ideoque antonomastice Mons sanctus, τὸ Ἀγιος dicitur.

Liceat hic verba Summi Pontificis Innocentii Papae III referre quibus, in Litteris die 17 mensis Ianuarii anno 1213 Laterani datis, splendidas has laudes texuit monasticae illius arcis:

»Relatione illustrum et magnorum viro-  
rum nostro est apostolatui declaratum, quod  
ille qui est mons domus Domini . . . , licet  
aridus sit et asper, et temporalis fertilitatis  
gratia destitutus, est tamen inter alios mundi  
montes maxima spiritualium ubertate mira-  
biliter fecundatus. Nam quum trecentis mo-  
nasteriis et gloria virorum multitudine  
arctam et pauperem vitam ducentium deco-  
retur, tanta usque modo refulsit excellen-  
tia honestatis, tanta religionis eximiae cla-  
ritate refulsit, ut de ipso cum Jacob recte  
possit quis dicere admirando: Vere sanctus  
est iste locus, quia hic est domus Dei, et  
quaedam quodammodo porta caeli, ubi mul-  
titudo coelestis exercitus, tanquam castro-  
rum acies ordinata et parata suscitare Levia-  
tan, victorioso pugnat jugiter cum dracone,  
psallens Domino sapienter.«

Monachi athonitae etenim Petri tutamentum atque Summi Pontificis Romani auxilium expoposcerant ne libertates ac pri-  
vilegia amitterent quibus a saeculis gaudebant. Quas preces  
suscipiens Innocentius III litteras sic concludit:

»Libertates autem et immunitates rationa-  
biles et antiquas ac etiam approbatas, prout  
in vestris privilegiis dicitur contineri, vo-  
bis et per vos monasteriis vestris auctorite-  
tate apostolica confirmanus, et praesentis  
scripti patrocinio communimus.«<sup>2</sup>

<sup>2</sup> Innocentii P. III Epistol. Lib. 16, Ep. 168. Migne, PL t. CCXVI, col. 956—958.

Nonne mirificum atque praeclarum dicendum est istud testimonium et sanctitatis Hagioritarum et eorum cum Romana Sede communionis saltem usque ad initium saeculi XIII?

Si vero ad Slavos oculos convertamus, satis sit sedes monasteriorum quae sequuntur referre.

Apud Kiev, Lauram Cryptarum quae incipiente saec. XI fundata est; Lauram SSmae Trinitatis haud longe a civitate Mosca saeculo XIV institutam; Lauram quae etiam in honorem SSmae Trinitatis et S. Alexandri Newsky, Petrogradi, saeculo XVIII est erecta; denique Lauram Assumptionis B. M. V. in Potchaïeff (in Wohlonia) aedificatam. Praetermitto coenobia alia plurima quae intra immensos imperii Slavorum fines sporadicè erecta fuere.

Praecipuis monasticis centris cognitis, ad eorum intimum regimen adeamus.

S. Pater Benedictus regulam inchoatur capite quod inscribitur *De generibus monachorum<sup>3</sup>* et sanctorum Cassiani ac Hieronymi vestigiis insistens, prius tria monachorum genera distinguit, *coenobitarum* scil., *anachoritarum* et »terribilium genus« *sarabaitarum*, quibus et quartum adjungit, *gyrovagum* dictum. Hi gyrovagi nec in oriente desunt,<sup>4</sup> sed, S. Patre Benedicto suadente, ad meliores monachos oculos convertamus.

Scimus vitam coenobiticam in Occidente rapide praevaluisse, quin tamen eremitae praeteritis temporibus defuerint. In praesenti vero anachoretica consuetudo apud Carthusianos et Camaldulenses monachos peculiari quadam forma consolidata fuit, qui cum non sint strictiori sensu eremitae, soli tamen cum Deo vivunt et ad quaedam communia exercitia, datis temporibus, conveniunt.

In Oriente vero saepius a scriptoribus tria notantur genera monachorum, eorumque ex bonis et honestis, coenobitarum scilicet, eremitarum seu hesychastarum et stylitarum. Qui ultimi ad genus anachoritarum potius reducendi sunt. Niceta Choniate (Akominatos) teste,<sup>5</sup> stylitae usque ad saeculum XIII. inventi sunt in Graecia.

Consuetudo eremita nunquam desiit in ecclesiis juris byzantini ecclesiastici, neque modo omnino desunt anachoritae. Hi postquam deserta Aegypti loca paulatim dereliquerint, solitudinum instar lauras constituerunt. Quarum celeberrimae

<sup>3</sup> Cf. editionem critico-practicam D. Cuthberti Butler, abbatis, apud Herder, Friburgi in Brisg. 1912, p. 9—11.

<sup>4</sup> Cf. D. Placide de Meester O. S. B., *Voyage de deux Bénédictins aux monastères du Mont-Athos*. Paris-Rome 1908, p. 146.

<sup>5</sup> Migne PG t. CXXXIX. — *Stylitae nec defuerunt in Russia*. Philaret-Blumenthal, *Gesch. der Kirche Russlands*. Frankfurt 1872, t. I, p. 139—141.

sunt: jam memorata laura S. Euthymii et S. Sabae in Palæstina<sup>6</sup>, laurae Euthymii Thessalonicensis in Monte Atho<sup>7</sup> et in Brastamo in Calcidia (saeculo IX) atque aliae.

Cum vero vita cenobitica tamquam typus monachismi communior atque frequentior acceptus sit, numerus hesychistarum valde imminutus est. Imperator Justinianus praescripsit ut pauci anachoritae intra septa monasterii vitam in celliis (*κελλία*) conducerent.<sup>8</sup> Concilium in Trullo (anno 692) decrevit vitam eremiticam tantummodo post annos tres vitae coenobiticæ concendendam fore.<sup>9</sup> Quae disciplina in regula S. Benedicti jam invenitur. Quippe qui scribat de eremitis: »non conversationis fervore novicio, sed monasterii probatione diurna... et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam heremi securi jam sine consolatione alterius... Deo auxiliante pugnare sufficiunt.«<sup>10</sup>

In regula Athanasii Athonitae quinque soli hesychastæ licentiam habent in celliis vivendi.

At praeter vitam hanc anachoreticam stricte sumptam, sicut in Occidente ita in Oriente exorta est vita hemi-eremita ad normam Camaldulensem et Carthusianorum monachorum, de quibus superius dixi. Hujusmodi semieremitæ, ex gratia videndi sunt in scetis (*σκῆται*) Athonicitis. Sceta variis constat cellis, καλύβαι dictis, in quibus duo aut tres monachi vivunt. Unaquaque καλύβα suum habet oratorium, at in centro calybarum adest ecclesia maior, κυριακόν dicta in quam omnes hesychastæ convenient diebus dominicis et festivis.

Attamen coenobiticam conversationem apud monachos orientales forma ac numero praestantiorem fuisse superius declaravi.

Id autem inde a saeculo IV. compertum habemus et valde contulerunt ad id magna Patris Nostri Basilii auctoritas ejusque regularum moderata virtus. Nil mirum proinde quod fere omnes monachi orientales in ejus clientelam sese dimiserint ideoque saepius eius nomine vulgo vocati fuerint. Posterior, id est saeculo VIII. et IX., post iconoclastarum tempestates, celeberrimus ille Studii, Constantinopolitani monasterii, hegumenus, Theodorus nomine, vitae coenobiticæ novum incrementum novamque temperationem attribuit. Vix credibile est quantam vim atque auctoritatem habuerint canones S. Theodori Studitæ in monachismi byzantini historicam explicationem. Hanc

<sup>6</sup> Cf. Raymond Génier, *Vie de St. Euthyme le Grand*. Paris 1909.

<sup>7</sup> Cf. Kirsopp Lake M. A., *The early days of monasticism on Mount Athos*. Oxford 1909, p. 44. 48.

<sup>8</sup> Nov. 5 cap. 3. — Nov. 123 cap. 36. — Nov. 133 Introd.

<sup>9</sup> Can. 41.

<sup>10</sup> Cap. cit.

vitae coenobiticae rationem saeculo X introduxere Michael Maleinos in montem Cymenum, Athanasius Lauriota in Montem Atho. Saeculo vero sequente, cura S. Theodosii hegumeni studitica monachismi methodus in celeberrimo Cryptarum Kievensi monasterio efflorescit, quae apud Slavos deinde longe lateque diffunditur, quin alias commemorem regiones<sup>11</sup>.

Haec de vita eremita atque coenobitica apud monachos orientales.

Jamvero silentio omnino praetereundum non est genus quoddam peculiare vitae monasticae quod *idiorythmicum* dicitur. Idiorythmica autem consuetudo in Monte Atho, vertente saeculo XIV, e coenobitica quidem exorta est vita ea tamen corrupta ac plurimis vitiis inquinata.

Prout enim ex ipsa vocabuli etymologia eruitur, vita haec privata communis vitae adversatur. Quid mirum itaque si coenobii regimen hierarchicum eo ipso concutiat, id est, si unico familiae monasticae capiti quod est hegumenus suffecta sit oligarchia quedam, quae aliorum monachorum collegio constituitur? Hac nova vitae ratione evanescit insuper totalis possessionis privatio quae de iure et de facto propria est voti paupertatis, dum monachis idiorythmicis concessa fuerit facultas privatas res possidendi atque acquirendi. Denique, cum monachi idiorythmici, parvis circulis glomerati, in domibus separatis dies privatim degant, victus ratio immutata est et carnis esus qui monachismo orientali omnino adversatur jam-jam in monasteriis idiorythmicis appetit, exceptis paucis diebus quibus omnes in communi refectorio cibos simul sumunt.

Ne putemus autem ecclesiam orientalem vitam idiorythmicam unquam adprobasse, quamvis lues haec maxime sit propagata, atque apud Slavos etiam mox irrepserit<sup>12</sup> et ad nostros usque dies permanerit. Imperatores Christiani et Patriarchae eam strenue condemnarunt<sup>13</sup> et plures monachi contra fecerunt atque scripserunt. Legantur verbi gratia quae de hoc genere monachorum scripsit monachus Pachomius saeculo XVI: »Qui, ait ipse, id est monachi idiorythmici, cum sint acephali et propriis regulis ac constitutionibus inservientes minime autem iis quae a sancta et oecumenica ecclesia sunt edictae, similes sunt mulieri deperditae, quae cum quovis homine illicitum commercium habet.«<sup>14</sup> Veri sunt sarabaitae qui, uti dixit S. P. Benedictus, »nulla regula adprobati... adhuc operibus servantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram

<sup>11</sup> Ph. Meyer, Die Hauptkunden für die Geschichte der Athosklöster. Leipzig 1894, p. 18, 19.

<sup>12</sup> Philaret-Blumenthal op. c. t. II, p. 85.

<sup>13</sup> Ph. Meyer op. c. p. 62 et seqq.

<sup>14</sup> Ibid. p. 213. — Cf. D. Placide de Meester op. c. p. 149 seqq.

noscuntur». — »Sed de his melius est silere quam loqui.« Quapropter, ad fortissimum coenobitarum genus revertamur.

Quonam modo constituitur coenobium orientale?

Sicut apud monachos occidentales, in monasteriis orientalibus praeest hegumenus *ἰεράρχης*, id est ad vitam electus.

Huius tamen electionis varii modi inveniuntur in historia monachismi orientalis.

Aliquando hegumenus, antequam e vita decesserit, successorem suum designavit.<sup>15</sup> Iuxta quosdam legum latores omnes monachi suffragia ferunt, iuxta alios ii soli qui aliquo officio in coenobio funguntur. Ita, exempli gratia, decrevit S. Athanasius Athonita in typico suo hegumenum a quindecim *έγκλησις*, id est officialibus eligendum esse.

Praecipua hegumeni iura haec sunt:

1. Receptio novitiorum in eosque manum impositio (per impositionem manuum, id est *χειροθεσία*, intelligitur professio vitae monasticae).
2. Definitio laboris atque munieris unicuique conferendi.
3. Monachorum designatio qui ad chirotonias seu ordinaciones sunt promovendi.
4. Patrum spiritualium nominatio.
5. Iudicandi potestas ac puniendi.
6. Proprios subditos ad lectoris aut psaltae ordinem promovendi facultas.
7. Omnia decernere quae utilitati spirituali aut temporali monasterii conveniunt.<sup>16</sup>

Iuxta ius antiquum ecclesiae orientalis hegumenus non gaudet ita dictis privilegiis ac insignibus pontificalibus, sed baculum solum fert quemdam tamquam auctoritatem habens.

Primis vero saeculis, sicut in Occidente nec abbas, hegumenus inter *ιερομάντερον*, id est inter eos qui diaconatu vel sacerdotio insigniti sunt, haud adscisceretur.

Postea vero episcopus manus in hegumenos imponebat, ut ad presbyteratus ordinem evecti, onus monachorum confessiones audiendi validius susciperent.

Postremo tandem tempore ecclesia praesertim Constantinopolitana, et post ipsam caeterae ecclesiae autocephalae, hegemonos ad dignitatem archimandritae promoverunt.<sup>17</sup>

Archimandritae nunc temporis, ius habent cum velo et cum cruce pectorali litandi. Aliqui si potestatem sibi assumpserint alia pontificalia gerendi, ea canonibus ecclesiae byzantinae nullo modo permittuntur.

<sup>15</sup> Cf. Δ. Πετρανδρός, Τὰ μοναχικὸν πολίτευμα τῶν ἀγίων Ὄρους Ἀθω. Athenis 1925 p. 61 seq.; p. 184. — Ph. Meyer op. c. p. 26—27.

<sup>16</sup> Δ. Πετρανδρός op. c. p. 72—73, p. 180 sqq.

<sup>17</sup> Δ. Πετρανδρός op. c. p. 69. et ib. n. 25.

Iuxta leges monasticas communi usu receptas hegumenus in proprio coenobio nil sine fratum consilio faciat.<sup>18</sup> Quae praescriptio denuo cum Patris Benedicti regula omnino consonat imo horum consiliariorum nomina etiam conspirant, cum γέροντες apud orientales saepius dicantur, seniores autem apud monachos occidentales.<sup>19</sup>

Adestne aliqua hierarchia inter monasteriorum hegumenos?

Id sane affirmandum est, quin uniuscujusque coenobii autonomia vel minime quidem offendatur. Etenim inde a tempore Justiniani, archimandritae nomen, interdum pro coenobii superiori, id est pro solo hegumeno assumebatur, quandoque etiam pro hegumeno qui pluribus monasteriis praeerat, aut ad eadem invisenda tanquam ex archa constituebatur.<sup>20</sup>

At hujusmodi confoederationes coenobiorum, quae cum modernis occidentalium congregationibus quandam similitudinem habere videntur, ut id iterum dicam, fiebant absque ulla uniuscujusque autonomiae iniuria.

Quae confoederationes originem habent cum illa antiqua Πρωτού sive Primatis institutione. Non tamen unus notatur Protos pro omnibus monachis (id enim monachismo orientali adversatur); at plures historia designat Πρωτούς cum plures numero sint coenobiorum circuli.<sup>21</sup>

Monasteria orientalia, si jus ecclesiae Byzantinae antiquum interrogemus, ab episcopo loci dependent. Exempla tamen plura sunt monasteriorum quae sub Imperatorum protectione aut Patriarcharum jurisdictione constituta sunt et σταυροπεγιακα dicuntur.<sup>22</sup> Eandem historicam explicationem in Occidente notare sufficiat ne e finibus hujus sermonis egrediamur.

In coenobio orientali omnia adsunt munera ad bonam domus monasticae administrationem necessaria, sed praecipuum notatur munus oeconomi qui res nummarias ac temporales regat et munus ecclesiarchae (ό ἐκκλησιαρχης).

In monasteriis ecclesiae orientalis nulla adhibetur differentia inter monachos chorales et laicos sive conversos. Quae differentia neque in primogenio monachorum regimine inventitur, sicut non inventitur in regulis S. P. Benedicti.

Adest tamen hierarchia quaedam inter monachos qui aliquo ex ordinibus sacris decorantur. Pro coenobii aut eremitarum collegii commoditate hegumenus per se habet potestatem psaltas et lectores ordinandi.

<sup>18</sup> Ph. Meyer op. c. p. 63, p. 205.

<sup>19</sup> Cap. III

<sup>20</sup> Nov. 123, 34; Nov. 5, 7 et 120; Nov. 133, 4.

<sup>21</sup> Ph. Meyer op. c. p. 29 seqq.

<sup>22</sup> Δ. Πατραρχακος op. c. p. 37, 38. — Rhallis-Potlis, Σύνταγμα τῶν θελῶν καὶ ἵψον κανόνων... Athenis, t. II, p. 236.

Ad diaconos et sacerdotes promovendos, vocet hegumenus episcopum vicinum.<sup>23</sup>

Eadem in regula benedictina rursum invenies. »Cantare autem et legere non praesumat, ait Pater noster Benedictus, nisi qui potest ipsum officium implere ut aedificantur audientes.«<sup>24</sup> Et alibi: »Si quis abbas sibi presbyterum vel diaconum ordinari petierit, de suis elegat qui dignus sit sacerdotio perfrui.«<sup>25</sup>

Maxima est cura in orientali ecclesia de candidatis ad vitam monasticam suscipiendis. In primogena legislatione, id est in novellis Iustinianis, tempus probationis ad tres annos extenditur.<sup>26</sup>

In regulis a S. Athanasio Lauriota datis tempus probationis minimum ad unum reducitur annum et in Typico imperatoris Johannis Tzimisce (a. 972) pro monte Atho elaborato novitiatus spatium ad nutum hegumeni protrahitur. Mox tamen ecclesiasticum jus pro omnibus tres annos definitivit.<sup>27</sup>

Juxta authenticos etiam canones novitus (*ό δόκιμος*) tempus probationis cum vestibus laicalibus peragebat. Quo elapsa ad vitam monasticam profitendam tondebatur et vestes monasticas cum votorum nuncupatione induebat.<sup>28</sup> Haec vestitio unica erat sicut et professio ipsa. Id docent omnes canonistae.<sup>29</sup> Theodorus Studita<sup>30</sup> austoris condemnat verbis distinctionem quae nescimus quas ob rationes saeculo IX jamjam irrepererat parvum inter et magnum schema seu habitum. Praesenti etiam tempore in coenobiis Athonicis novitus impletis omnibus probationis conditionibus habitum monasticum qui dicitur in euchologiis magnum seu angelicum schema induit. In idiorythmicis vero monasteriis degunt ita dicti rasophori et stavrophori seu microschema.<sup>31</sup> Jamvero in ritu quo ordinatur quis rasophorus nullum ne minimum quidem habetur verbum quod ad vota monastica alludat et in altero ritu omnia omissuntur quae ad paupertatem referuntur.

<sup>23</sup> Exempli gratia ad manus super diaconos et sacerdotes imponendas designatur ab Imperatore Alexio episcopus Hierissenus. Cf. Ph. Meyer, op. c. p. 47.

<sup>24</sup> Cap. XLVII. Cf. D. Placide de Meester, L'office décrit dans la règle bénédictine et l'office grec. Echos d'Orient. t. X (1907) p. 338.

<sup>25</sup> Cap. LXII. — Iustinianus pro coenobio quatuor vel quinque senes designat. Nov. 133, 2.

<sup>26</sup> Nov. 5, 2, excepto tamen mortis periculo et optima vitae consuetudine in saeculo habita; tunc ad sex menses reducitur probationis tempus. Cf. Δ. Πετρακάκος, op. c. p. 82.

<sup>27</sup> Ibid. p. 85.

<sup>28</sup> Ibid. p. 93.

<sup>29</sup> Ibid. p. 95, n. 50 et p. 97.

<sup>30</sup> Διαθήγη can. 12. Migne PG t. XCIX, 1816—1820.

<sup>31</sup> Videas in euchologiis Ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον βασιφοροῦντα (ed. Rom. p. 225) et Ἀκολουθία τοῦ μητροῦ σχῆματος ἡτοι τοῦ μανδίου (ibid. p. 226 seqq.).

Professio monastica ab antiquis patribus sacramentis baptismatis et sacerdotii aequiparatur quippe quae habeat juxta ipsos characterem indelebilem, et per ipsam monachus in quodam inamovibili statu constituatur.<sup>32</sup> Modo autem et apud Slavos et apud Graecos, non obstantibus canonibus et juristarum sententiis, potest quis a votis absolvit et a statu monastico omnino destitui.<sup>33</sup>

In rituali byzantino<sup>34</sup> magnificus habetur ordo ad professionem faciendam. In prima parte candidatus qui saeculum ejusque falsas voluptates reliquit imaginem prae se fert filii prodigi. Deinde ad domum paternam reddit et ab hegumeno tanquam a patrefamilias receptus novas splendidasque induit vestes.

Haec renuntiatio et novae vitae amplexus talibus interrogationibus et responsis fiunt qualibus, omnibus auctoribus consentientibus, habetur vera rataque professio monastica. Multi vero canonistae putant apud orientales monachos tria tantummodo esse vota seu promissiones solemnes, virginitatis scilicet, obedientiae et paupertatis. Jamvero habetur peculiaris interrogatio cum responsione qua candidatus, seu catechumenus, uti per pulchre eum nominat rituale byzantinum,<sup>35</sup> expressis verbis, spondet sese in monasterio usque ad ultimum suspirium perseveraturum esse sanctae ascensi (ἀσκήσει) operam navantem. Quae promissio a Patre Benedicto stabilitas vocatur.<sup>36</sup> Imo et benedictinam morum conversionem deprehendere poteris in penultima ritualis professionis monasticae interrogatione, cum sacerdoti quarenti: »Tolerabis ne omnem tribulationem et austeritatem in vita monastica propter regnum coelorum?« respondeat frater: »Utique Domino cooperante, venerande Pater.«

Superest ut aliqua dicamus de magnis monastici status elementis quae ad perfectionem consequendam, ad vitam supernaturem enutriendam atque cum Deo cunjunctionem maxime fovendam monachum conducunt. Quae principia in monachismo occidentali et orientali aequali modo inveniuntur.

In primis loquendum est de vita claustralii cum omnibus exercitationibus ejus! Quae in Oriente generatim delecta fuere

<sup>32</sup> Δ. Πατραχάνος p. 98, p. 106 seqq.

<sup>33</sup> Ibid. p. 110, n. 84 citatur decretum quod pro ecclesia autocephala Graeciae valet. Quoad antiquas ecclesiae Russicae constitutiones cf. N. Miš-Al. R. v. Persić, Das Kirchenrecht der morgenländischen Kirche. Mostar 1905, p. 668, n. 3.

<sup>34</sup> Ἀχλούντα τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχῆματος. Ed. c. p. 234–249.

<sup>35</sup> Ibid. p. 244.

<sup>36</sup> In canone 6. synodi Chalcedonensis declaratur monachum suo monasterio addictum esse sicut clericum propriae ecclesiae. Idem principium affirmatur in can. 80, synodi Carthaginensis. Documenta e jure canonico deprompta legas apud Δ. Πατραχάνος op. c. p. 99 seqq.

loca solitaria ad vitam monasticam conducendam, satis demonstrant quanta fuerit Patrum sollicitudo monachum a saeculo separandi. Leges clausurae in monasteriis orientalibus adeo sunt strictae ut neque mulieres, neque imberbi, neque animalia feminei sexus septa monastici alicuius teritorii transgredi queant. De stabilitate in monasterio superius locutus sum. nec non de sponsione a monacho facta sese vitae asperitatibus adstringendi. Inter has asperitates connumeranda sunt solitudo cellae, silentium, exercitia communia vitae regularis, obedientia erga superiores, subjectio omnibus fratribus, et caetera hujusmodi.

Alterum elementum notemus oportet illam quam S. P. Basilios vocat *communem pietatis negotiationem*<sup>37</sup>, sive *opus Dei*, juxta verba S. P. Benedicti. Omnes regulae monachorum orientalium, sicuti regula S. Benedicti, maximi momenti faciunt communem illam orationem quae hymnis, canticis, piis lectionibus et psalmis constat. Officium canonicum solemniter in templo Dei magnifice ornato celebratur et omnes sciunt quantum tempus insuman monachi orientales ad laudes Dei simul decantandas. Die noctuque multas per horas hoc sacro munere funguntur<sup>38</sup>. At hujus pii laboris centrum culmenque est liturgia eucharistica cui omnes adsistere debent, cum in coenobiis orientalis ecclesiae unum sit templum, unum altare, unum sacrificium.

Hoc officio canonico expleto, nullum aliud orationis onus est. Si quis forte animi contemplationi aut aliis precibus vacare cupiat, id privatim faciat. Idem omnino praescripsit S. P. Benedictus<sup>39</sup>. Attamen sacrae meditationis opus solitarii monachi proprium est juxta canones sanctae ecclesiae orientalis.<sup>40</sup>

Ceterum domus Dei, sacra suppellex, vasa, vestes, libri, icones, omnia verbo quae ad cultum dominicum pertinent, summae venerationi, amori et honori sunt monachis orientalibus.

\*

Si religiosi viri persona modo consideretur, leges monachismi orientalis iis quae occidentales monachos moderantur omnino sunt consonae.

Paupertas corporis, id est victus, vestitus et domus, simul ac paupertas animi seu humilitas, ab omnibus maxime inculcantur. Quid vero de monastica mortificatione? Vigiliae, jejunia, abstinentiae, apud monachos orientalis ecclesiae, certis fixisque legibus constituuntur. Praeter quatuor in anno sta-

<sup>37</sup> Constit. mon. c. XVIII n. 1. PG t. XXXI, 1382.

<sup>38</sup> D. Placide de Meester, Voyage de deux Bénédictins... p. 174 seqq.

<sup>39</sup> Cap. LII.

<sup>40</sup> Νοσπά προσευχή dicitur. Cf. Ph. Meyer op. c. p. 86.

tutas periodos jejuniorum, unaquaque feria secunda, quarta et sexta semel in die comedere monachis fas est, ceteris autem diebus bina comedio permittitur, carnium esu per totum annum excluso<sup>41</sup>. His non absimiles abstinentiae leges apud quosdam monachos occidentales invenire poteris.

Monachi orientales laboribus manuum maxime incumbunt id est prout suppeditat tempus quod post laudem divinam superest. Quod autem ad opera intellectualia attinet, fatendum est ultimo tempore ea a monachis orientalibus parcius exculta esse. Haud item aetatibus superioribus res se habuisse demonstrant tot scripta, volumina et opera ab ipsis relictar<sup>42</sup>. Si quis vero quaestionem moveat, an vita monastica orientalis ecclesiae contemplativa potius sit dicenda quam activa, ut distinctione quadam occidentalibus valde nota utamur, confitendum sane foret eam ad opera externa usque ad praesentia tempora parum directam fuisse. Adsunt tamen exempla huiusmodi laboris ita dicti externi. Byzantii, verbi gratia, constituta fuisse plurima hospitia ad pauperes, senes, peregrinos, pueros recipiendos eaque a monachis directa esse ex historicis documentis compertum habemus.<sup>43</sup> Petrus Magnus, totius Russiae imperator, monachos coegerit ut nosocomia erigerent ac domus in quas milites invalidos reciperent<sup>44</sup>. Sed haec potius rara dicenda sunt.

## DE DISCIPLINA MONASTICA APUD CATHOLICOS RITUS GRAECO-SLAVICI.

*P. Joannes Višošević O. S. Basil. M. — Zagreb.*

### Introductio.

Apud catholicos ritus graeco-slavici tres ordines monastici extant: Ordo s. Basili Magni, congregatio monastica s. Theodori Studitae et moniales ordinis s. Basili.

Antiquissimus est ordo s. Basili, qui inde a pacta unione Berestensi existit, ab eo videlicet tempore, quando monasteria Russiae et Ukrainae, quae unionem suscepserunt, a s. Josaphato et metropolita Velamino Rutski restaurata et in unam congregationem organisata sunt. Olim in duas magnas provincias Lituaniae et Poloniae divisus, deinde post varias vicissitudines ad unam provinciam ss. Salvatoris Galiciae re-

<sup>41</sup> Δ. Ηετραχάρος op. c. p. 117.

<sup>42</sup> Cf. Marin, *Les moines de Constantinople* L. V. L'activité intellectuelle des moines. Paris 1897, p. 373 seqq.

<sup>43</sup> Ibid. L. I. c. V. Les établissements religieux de bienfaisance p. 61 seqq.

<sup>44</sup> Philaret-Blumenthal op. c. t. II, p. 282—283.

dactus, a. 1882. opera Leonis XIII. novam organisationem obtinuit, quae usque ad nostra tempora subsistit.

Ordo in praesenti universim 305 sodales numerat, quorum 106 patres, 100 scholastici et 99 fratres coadiutores habentur. Porro in tres provincias dividitur: a) in provinciam Ruthenam ss. Salvatoris Galiciae, quae 14 monasteria et duas residentias possidet, cum noviciatu in Krechiv (50 novitii); b) in provinciam Carpatho-Ruthenam, quae a. 1920 creata est, cum scilicet basilianis Carpatho-Rutheni reformationi Galicianae accesserunt. Haec provincia iam duo monasteria reformata possidet in Cechoslovachia cum noviciatu in Mukačevo (15 novitii), et unum monasterium in Hungaria; c) in provinciam Rumaenam, quae unum monasterium in Rumaenia habet cum noviciatu in Biksad. — Porro missionibus operam navant inter Ruthenos emigratos in America meridionali 6 patres et duo fratres (2 domus missionis), in Canada 8 patres et duo fratres (3 domus missionis) cum noviciatu in Mundare (7 novitii), in Statibus Foederatis Americae 1 et in Ukraina 1. — Ordo tria seminaria dirigit: seminarium archidioecesanum Leopolitanum in Galicia, sem. dioecesanum Crisiense in Jugoslavia et Pontificium collegium Ruthenum Romae, item duo instituta missionis: alterum in Bučač (Galicia), ubi 70 alumni studiis humanisticis vacant, et alterum in Užhorod (Cechoslovachia) cum 80 alumnis. Praeterea ordo possidet typographiam in Žovkva (Galicia) atque quatuor periodica religiosa redigit: »Misionar« pro populo, »Naš prijatelj« pro iuventute scholarum elementarium, »Postup« pro iuventute academica et scholarum mediari, nec non »Zapiski« (Analecta Basiliana) periodicum studiis monasticis dicatum.

Deinde in Cechoslovachia (prius in Hungaria) existit ordo s. Basili Rutenorum 7 monasteria numerans, cuius tamen constitutiones (a Card. Johanne Scitovskij per decretum dd. 30. septembris a. 1857 vi commissae potestatis apostolicae approbatae et confirmatae)<sup>1</sup> in praesenti dissertatione in considerationem non veniunt, quandoquidem ordo reformationem galicianam suscepit et novam provinciam Carpatho-Ruthenam eiusdem ordinis s. Bas. reformati constituit.

Cum ordine s. Basili pari passu progrediuntur moniales ord. s. Bas., quae in praesenti habent 5 monasteria et 5 domus in Galicia, duas domus in Cechoslovachia (Užhorod, Prešov), duas item in Jugoslavia (Križevci, Šid) et unam in Statibus Foederatis Americae (Philadelphia). Hic ordo monialium iam fere 300 sodales numerat et ubique diversi generis instituta (lycea, gymnasia, convictus et orphanotrophia) pro educatione puellarum aperit (in Philadelphia habet typographiam et publicat periodicum »Misionar« pro sustentatione orphanotrophij).

<sup>1</sup> Правила чина С. Василія Великого во Угорщинѣ, Львовъ 1858.

Ordo s. Theodori Studitae est nova congregatio monastica, quae a praesenti metropolita Galicensi Andrea Sep-ticki ad vitam revocata monachismum orientalem in pristina forma resuscitare ac restaurare sibi proponit. Congregatio iam 60 sodales numerat (quorum 6 patres et 6 clerici habentur), et duo monasteria in Galicia habet cum Laura in Zaravanica et noviciatu in Univ (14 novitii), et unum monasterium in Kame-nica in Bosnia (Jugoslavia).

Denique ultimis deceniis inter Ruthenos Galiciae existerunt multae congregations religiosae sororum (v. g. sorores vulgo dictae »Mironosice«, deinde ss. Sacrae Familiae, ss. vulgo dictae »Josafatke«, ss. Studitke, ss. Josefitke) quarum tamen praecipua est congregatio servarum B. Virginis Mariae (vulgo »Služebnice«),<sup>2</sup> quae iam ultra 400 sorores numerat et plures domus habet in Galicia, Canada, Brasilia, et unam domum in Jugoslavia (Kucura). Sorores operibus christiana charitatis et institutionis operam navant.

In Macedonia et Bulgaria vero congregatio sororum ss. Eucharistiae — vulgo »Euharistinke« — pro unitate ecclesiae cum fructu operatur.

Sed praetermissis omnibus istis congregationibus modernis necnon congregatione redemptoristarum, cuius iam formatur provincia propria ritus graeco-slavici in Galicia, Canada et Cechoslovacia, quae congregations ritui graecoslavico accommodatae in ceteris ad normam congregationum occidentalium constitutae sunt, hic solum illos tres priores ordines pree oculis habentes iam eorum disciplinam monasticam breviter expone-mus instituta comparatione cum disciplina monastica orientali.

### I. Vitae monasticae compositio.

1. Statuta monastica. — Imprimis notandum, quod norma, secundum quam in genere vita monastica orientis christiani moderatur, sunt illae antiquae regulae sic dictae fusius (55 δορι κατά πλάτος) et brevius (313 δορι κατ' ἐπιτομήν) tractatae, quas monachorum patriarcha Basilius iuxta s. scripturae sententias, ss. patrum effata, ecclesiae canones et Pachomii regulas composuit suisque monasteriis sapienter applicavit. Porro regulis s. Basillii fundantur omnia statuta seu typica monastica, quibus singula orientis monasteria reguntur quaeque fere universam disciplinam monasticam exhibent.

Jamvero ex statutis et typicis monasticis praecipua extant tria: typicum monasterii hierosolimitani a Sabba Benedicto a. 561 redactum, typicum celebris monasterii Studion ab hegu-

<sup>2</sup> Устав Згromадження Сестер Служебниць Преч. Діви Марії Непорогно Зачатої обраду грекокат. Жовква 1907.

meno eiusdem monasterii Theodoro a. 789 confectum et typicum montis Athonis ab Athanasio dicto Athonico a. 970 compositum. At omnium praestantissimum est typicum monasterii Studion, quod deinceps in omnibus monasteriis orientis receptum est et a Theodosio monasterii Kioviensis monacho Lavrae »pečerensi« (cripticae) applicatum deinde per omnia monasteria Ukrainae et Russiae inductum est. Porro idem statutum studiticum archiepiscopus Serbie Sabbas suo monasterio Chilandar accommodavit et in cetera monasteria Serbie induxit. Parvae quaedam modificationes horum statutorum characterem tantum localem et nationalem singulorum monasteriorum p[re]se ferunt.

Jamvero sapientes institutiones s. Basilii remanserunt norma vitae monasticae in illis quoque monasteriis, quae unionem cum ecclesia catholica suscepserunt atque huiusmodi momentum retinent etiam nunc tum in modernis constitutionibus ordinis s. Basilii ab apostolica Sede die 27 Julii a. 1909 confirmatis,<sup>3</sup> tum in typico Sknilivensi Studitarum a. 1906 a metropolita Galicensi in lucem edito,<sup>4</sup> tum etiam in regulis monialium ordinis s. Basilii, quae a metropolita Velamino Rutski redactae<sup>5</sup> et a praesenti metropolita Galicensi 19. aprilis a. 1909 cum aliorum episcoporum consensu monialibus iterum applicatae sunt.<sup>6</sup>

**2. Natura vitae monasticae, vota substantia, clausura.** — Quoad substantiam vitae monasticae nullum est discrimen inter ecclesiam orientatem et occidentalem. Monachi quoque orientales tria vota substantia emittunt, castitatis sc., paupertatis et oboedientiae. Addi tantum potest, quod monachus et monialis orientalis explicite etiam quartum votum emittit, videlicet constantiae (ύπομονή) i. e. perseverandi in statu monastico nec non in monasterio, quod ingressus est, usque ad mortem.

Porro hoc votum etiam in formula professionis basiliana ritus graeco-slavici continetur illis verbis, quibus vovens promittit »se in ordine usque ad mortem perseveraturum esse«.<sup>7</sup> Praeterea apud basilianos omnes professi, qui ad statum sacerdotalem admittuntur, duo alia vota simplicia emittere tenentur, sc. votum fidelitatis erga s. Sedem et votum non ambendi dignitates tam intra quam extra ordinem.<sup>8</sup>

<sup>3</sup> Cf. Decretum S. Congreg. de Prop. Fide pro negotiis Ritus Orient. [additum Constitutionibus Congreg. Ruthenae Ord. S. Bas. M., Žovkva 1910].

<sup>4</sup> Типиконъ Студитской Лавры св. Антонія Печерского иль Скилловъ подъ Львовомъ. Žovkva 1910.

<sup>5</sup> Prima vice editae Vilnae in typ. PP. Basilian. a. 1771.

<sup>6</sup> Вытягъ зъ правил. Žovkva 1909 pag. 9. 11

<sup>7</sup> Cf. Constit. Congr. Ruthenae Ord. S. Bas. Žovkva 1910 p. 42.

<sup>8</sup> Cf. Const. p. 52-3.

In monasteriis orientalibus clausura stricte observanda est. Iuxta can. 46. synodi Trullanae et can. 21. concilii oecumenici VII. monachi nonnisi cum licentia hegumeni e monasterio egredi possunt et numquam soli, sed cum socio. Moniales vero binae habitare debent et iuniores nonnisi urgente aliqua necessitate et cum aliquibus vetulis exire possunt, non tamen sine licentia hegumena. Per noctem autem extra monasteria numquam cubare permissum est. Praeterea in can. 47. synodi Trullanae sub poena excommunicationis prohibetur, quominus mulier in virorum monasterio vel vicissim vir in mulierum monasterio dormiat. Iuxta can. 18. concilii oecumenici VII. in monasteriis virorum mulieres versari nequeunt. Item in eodem monasterio iuxta can. 20. conc. VII. monachi et monachae sub eodem tecto vivere nequeunt. Unde sic dicta monasteria duplia (i. e. virorum et mulierum) stricte prohibita sunt.

Eadem principia quoad clausuram apud monachos quoque unitos ritus graeco-slavici valent. Immo monialibus ordinis s. Bas. synodus Zamoscena<sup>9</sup> et Leopolitana<sup>10</sup> strictiorem formam clausurae, scilicet papalem urgent, quae tamen per praesentes constitutiones in praxi abrogata et ad mitiorem formam iuris orientalis redacta est. Cum licentia ordinarii possunt moniales in casu necessestatis e monasterio egredi, parentes et benefactores invisere, medicos adire, sed semper cum socia.<sup>11</sup> Neminem, nec mulierem intra clausuram recipere licet, virum nonnisi cum licentia s. Sedis. Operarii tamen et opifices cum ordinarii licentia permitti possunt.<sup>12</sup>

**3. Noviciatus et candidatura.** — De vigenti disciplina etiam in ecclesia orientali professionem monasticam aliquod tempus probationis (*δοκιμασία, δογματικός*) praecedere debet, in quo novitius (*δοξάσιος*) sub immediata directione periti monachi prosectoris aetatis (*ἀνάδοχος*) sibi notiam nec non exercitium regularum acquirere rectamque intentionem et constantiam probare debet.

Porro sec. can. 5. particularis synodi IX. noviciatus per triennium durare debet. Quae dispositio — exceptis casibus in iure expressis — stricte observanda est, ita ut si superior contra hoc praescriptum sine praevia probatione ad professionem aliquem admiserit, ex eodem canone poena depositionis plecti debet.

Iamvero haec regula a studitis quoque retinetur, ita tamen, ut hegumenus cum consensu capituli generalis hoc tempus probationis abbreviare et ad vota temporaria admittere possit

<sup>9</sup> Tit. XII De monialibus (Collectio Lacensis, Frib. Brisg. 1876. p. 57 b. c.).

<sup>10</sup> Acta et Decreta (Romae 1896) 161. 4.

<sup>11</sup> Cf. Вытагъ зъ правиль, пр. 177.

<sup>12</sup> Вытагъ пр. 49. 55.

etiam post elapsum primum annum noviciatus.<sup>13</sup> Apud basilianos tam monachos<sup>14</sup> quam moniales<sup>15</sup> noviciatus per annum et sex hebdomadas durare debet iuxta antiquas eiusdem ordinis consuetudines.<sup>16</sup> Apud omnes vero noviciatui candidatura sex saltem hebdomadarum praecedit, quod iuri quoque orientali apprime correspondet.

4. Professio parvi et magnischematis. — In iure monastico orientali non habetur divisio monachorum secundum vota simplicia et sollemnia, eo vel magis, quod haec distinctio in iure quoque ecclesiae occidentalis posterioris institutionis est. Etenim in iure monastico orientali monachi potius secundum progressum in vita monastica dividuntur, et quidem in tres distinctos gradus perfectionis, scilicet rasophorum, microschemorum et megaloschemorum.

a) Rasophori (*ῥασοφόροι, ῥασοφοροῦντες*) dicuntur ii monachi, qui post expletum canonice praescriptum tempus noviciatus et postquam digni reperti fuerint, in statum monasticum sollemniter recipiuntur, quin adhuc vota emittant. Fit autem haec receptio eo, quod superior monasterii in praesentia totius communitatis certis cum caeremoniis in euchologio praescriptis candidato vestem monachalem *ὅσιον* (rjasa) dictam necnon *καμηλάρχιον* ut »pignus futurorum votorum«<sup>17</sup> confert et sic candidatum formaliter in communitatem fratrum tamquam membrum recipit. Porro hic receptionis actus prima tonsura monastica (*ἀπόκαρσις*) nuncupatur.

Rasophori moraliter constricti sunt in electo statu monastico remanere, unde habitum dimittere et ad saeculum redire sine iusta causa nequeunt; at in saeculum reversi matrimonium contrahere non prohibentur. Regulas monasticas necnon ipsa consilia evangelica observare tenentur non quidem vi voti, sed ex decentia, ordinis ac probationis causa.

b) Secundus gradus perfectionis sunt s. d. microschemi (seu monachi cum parvo habitu) i. e. ii, qui publice et sollemniter tria vota substantialia emittunt atque promittunt se in statu monastico et monasterio usque ad mortem perseveraturos esse.

Porro haec votorum nuncupatio initiatur cum secunda, sollemniore tonsura monastica, qua monachus secundum praescriptos euchologii ritus specialem vestem microschemorum obtinet, et quidem: imprimis parvum habitum — *σχῆμα μικρόν* — in signum externae humilitatis et internae compunctionis, deinde sic dictum *παρακαμηλάρχιον* vel *περικεφαλαλαν* et denique

<sup>13</sup> Cf. Const. Studit. cap. II. 75.

<sup>14</sup> Cf. Const. Congr. Ruth. Ord. S. Bas. p. 35.

<sup>15</sup> Cf. Вытязь, пр. 96.

<sup>16</sup> Cf. Collect. Lacensis, 46 d.

<sup>17</sup> Указ съ Синода 21 июня 1804; Павловъ, Курсъ церк. права (Москва, Свято-Троицкая Сергиева Лавра 1902) 219, § 65.

*μανδύαν et crucem (σταυρόν et hinc σταυροφόροι) sub veste portandam, in signum renuntiationis saeculi.*

Microschemi statum monasticum iam amplius dimittere nequeunt eorumque vota perpetua sunt. Consequenter nec matrimonium valide contrahere possunt.

c) Tertius gradus perfectionis sunt megaloschemi (seu monachi cum magno habitu) sc. ii, qui per longam virtutum exercitationem maiorem gradum perfectionis consecuti sunt ac proinde strictiori vitae monasticae se addicere cupiunt.

Porro megaloschemi speciali ritu publice in ecclesia vota iam emissa in strictiore forma renovant atque vitam postmodum in ieuniis ac continuis orationibus se ducturos profitentur. In signum vero externum huiusmodi professionis monachus megaloschemus obtinet sic dictam magnam vel angelicam vestem (*τὸ μέγα σχῆμα, τὸ ἀγγέλικον σχῆμα*), deinde *κονιούλιον* et mandiam cruce ornatam (*ἀνάλαβον vel παραμανδύαν*).

Notandum est, quod ad angelicam vestem in iure orientali nonnisi ii monachi admittuntur, qui saltem per triginta annos sedula regularum observatione huiusmodi vitae idoneos se praebuerint.

Iamvero ex hac descriptione apparet, quod professio monachorum orientalium sec. distinctos gradus perfectionis quan-dam analogiam habet cum professione religiosa, quae fit in ecclesia occidentali secundum diversum gradum votorum ita ut professio megaloschemorum professioni sollemni, professio vero microschemorum professioni simplici perpetuae aequiparari possit, cum hoc tamen discrimine, quod vota microschemorum solvi nequeant, dum vota religiosorum votorum simplicium per dispensationem pontificis remitti possunt.

Porro haec analogia fortasse potissima ratio est, cur monasteria orientalia unita tum basilianorum utriusque sexus tum studitarum accepta distinctione votorum simplicium et sollemnium et retentis ritibus euchologii professionem votorum simplicium perpetuorum simpliciter professionem parvi schematis, professionem votorum sollemnium professionem angelici schematis denominaverint, immo monachi studitae et vota simplicia temporaria ad normam codicis introduxerint cum effectibus canonice iuris occidentalis.<sup>18</sup>

Ad habitum quod attinet novitii studitae seu archarii deferunt habitum (rjasa) albi vel nigri coloris cum cingulo pelleo, deinde monachi cum votis temporariis obtinent »paraman« sc. vestem parvi schematis, monachi vero cum votis simplicibus perpetuis mandyam et crucem ligneam, denique monachi vo-

<sup>18</sup> Cf. Const. Studit. cap. IV. 91—102; Const. Congreg. Ruthenae Ord. Bas. M. (Žovkva, typogr. PP. Basiliatorum 1910) p. 35 ss. et 40 ss. Sed notandum quod Constitutiones Stud. nonnisi in decennium experimenti causa approbatae ac proinde nondum definitivo modo redactae sunt.

torum sollempnium »paraman« angelici schematis.<sup>19</sup> Monachi autem basiliani deferunt habitum nigri coloris cum cucullo et in professione sollemni obtinent mandiam (fratres laici pallendrianum), crucem et sic dictum »paraman« specialis formae.<sup>20</sup>

